CUJUSMODI SIT
IMITATIO

IN ILLO ARISTOTELIS LIBRO QUI « DE POETICA » INSCRIBITUR

Thesin Facultati Litterarum in Universitate Parisiensi

PROPONEBAT

HIPPOLYTE PARIGOT

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS

CALMANN LÉVY, ÉDITEUR

ANCIENNE MAISON MICHEL LÉVY, FRÈRES

3, RUE AUBER, 3

1898

CUJUSMODI SIT IMITATIO

IN ILLO ARISTOTELIS LIBRO QUI « DE POETICA » INSCRIBITUR

CUJUSMODI SIT
IMITATIO

IN ILLO ARISTOTELIS LIBRO QUI « DE POETICA » INSCRIBITUR

Thesin Facultati Litterarum in Universitate Parisiensi

PROPONEBAT

HIPPOLYTE PARIGOT

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS

CALMANN LÉVY, ÉDITEUR

ANCIENNE MAISON MICHEL LÉVY, FRÈRES

3, RUE AUBER, 3

—

1898

CONCINNO SCRIPTORI ET DOCTISSIMO MAGISTRO

ALFRED CROISET

opusculum hoc verecunde dedicabat

H. P.

CUJUSMODI SIT IMITATIO

IN ILLO ARISTOTELIS LIBRO QUI « DE POETICA » INSCRIBITUR

CAPUT I

QUÆ SIT CAUSA DISSERENDI

Antiquitus critici ac philosophi de « aureo » illo libro scripserunt, et, ut fit, dissenserunt. Hoc tamen inter plerosque convenit, ut ibidem eximiam ac vere græcam intellegendi facultatem, atque ingenuarum artium prope summam admirarentur. Admirari autem promptius est quam recte interpretari.

Nam in primo *Poeticæ* capite posuit Aristoteles ex imitatione (μίμησις) constare poesin (1) ; deinde in quarto, artibus ingenuis naturales causas inesse duas, quarum alteram dixit imitationem (2). Quam

(1) *De poet.* 1. 1447. a. 16.
(2) *Ibid.* 4. 1448. b. 5. sqq.

igitur vim vocabulum hoc habeat, quid sonet, et quo valeat, denuo disputare audemus. Quod vero quanti momenti sit et quam ab inani cavillatione remotum, facile æstimaveris, si reputaveris tecum ex uno verbo maximam Aristotelei operis partem pendere, et, obscurato eodem, totam doctrinam obscurari, et depravari, depravato. Etenim alterum est poesis munus, si extraneas rerum imagines reddere poetæ est, alterum, si in summorum artificum mente eximia quædam pulchritudinis forma insidet, ad cujus exemplar ingenium manumque dirigere debet. Utrum natura rerum, veluti principium et fons, ad imitandum proponatur, et ille inter omnes excellat qui, quæ sint oculis subjecta, fideliter expresserit, vel quoque ex singularibus rebus compendiariam quamdam atque ideo communem duxerit figuram, an omne opus, omnis labor sit, quid sit pulchrum, intus perspicere, et ex intima rerum hominumque natura verum quærere, et veritatem poeticam non ex iis, quæ extrinsecus appareant, verum e semotis animi vitæque humanæ latebris arcessere et universa mundi fœdera perscrutari, nonnihil, ut opinor, interest. Immo vero hujus vocabuli vis tenuius differre potest. Etenim sunt qui Stagiritem jure quidem, ut mea fert opinio, existiment *ideæ* studiosiorem fuisse, quam qui fidelem ac prope nudam imitationem significaret, eam autem poetarum officio ita præposuisse, ut e singulari rerum specie ad perfectam absolutamque notitiam

aditum faceret doceretque (1). Hinc vero in magnas salebras incidimus. Quæ sit propria imitationis pars, quid ad mentem ac communium notitiarum intellectum referatur, quatenus exprimenda imitando sint ea, quæ sub sensus cadunt, quatenus quæ animo concepta sensus fugiunt cogitando effingenda, quis imitandi modus, quis finis cogitandi, cujus sit pretii propositum oculis exemplar, cujus autem momenti imago illa altera intus formata, quaque ratione alteri altera conjungenda, hæc demum nostra quæstio est, et quidem nonnullius operæ ac laboris. Quid senserit Aristoteles, non e scriptis protinus patet ; si vero ad diversissimas criticorum commentationes respexeris, primo perobscurum. Nam, si quamlibet tenui discrimine imitationis, jam non dico vim, verum finem etiam et munus aut imminueris aut adauxeris, *Poeticæ* doctrinam nimio plus inflectes. Adde quod de ipso scripto plurimum controversiæ est, quia aut mendosis verbis aut mutilis sententiis, (quarum permutatum ordinem aut tenorem interruptum fuisse manifestum est,) aut interpolatis quoque locis corruptum cum summam habet difficultatem, tum disciplinæ totius claritati officit (2).

(1) Nuperrime Butcher. *Aristotle's theory of poetry and fine art*, London, Macmillan and co, 1895, passim.

(2) Quo memorem alteram *Poeticæ* partem amissam ? Quod superest, Vahlen et Christ cum Butcher comparavi, frequentius Vahlen secutus, qui et cetera mendosa et sextum præcipue caput, quod magnopere refert, accuratissime exaravit.

Grammatici certant et adhuc sub judice lis est (1).

Quibus ambiguitatibus deterriti utinam nonnulli critici descivissent a consuetudine ista *Poeticæ* oracula quasi ex umbilico terræ et Delphorum sacrario prolata præcipiendi !

Equidem nec omnes, quotquot sunt, qui de hac re scripserunt, nec varias omnium opiniones colligere institui. Volo tamen eos summatim recensere, quorum sententiæ aliquantisper prævaluerunt, quorumque commentationibus usus, et quæ fuerint disputationis vices et quis etiamnunc sit expediendus nodus, vidisse mihi videor. Quod ad nostros attinet, ne rem prima ab origine repetam, Dacier ac deinde Batteux *Poeticam* e Græco verterunt et adnotaverunt. Utriusque (2) autem vitiatus labor critici apparatus inopia, et propter nimium et incredibilem Aristotelis cultum omne ingenii acumen frustra fuit. Dacier præsertim Aristotelea religione præstitit magis quam grammatica. Quidquid in *Poetica* repperit, margaritam repperit; clara pariter et ambigua verba comprobavit ; utrum laudet quæ intellexerit, an quæ putaverit laudatione digna intellegat, dubium sæpius est.

(1) Horatii Epist. ad Pisones. v, 78. Waltz.

(2) Dacier. *La Poétique traduite en français, avec des remarques critiques*, Paris 1692.

Batteux. *Les quatre Poétiques d'Aristote, d'Horace, de Vida, de Despréaux*. Paris, 1771, 2 vol.

Uterque Victorii opus nequaquam, ut illo tempore, spernendum præsto habuit, nec non Heinsii temerariam recensionem.

Quem jure quidem suo ac joci causa Lessing non semel « honestum Dacier » notavit, cui nequaquam errare potuisse Aristoteles videretur, ob eam dumtaxat causam quod fuerit Aristoteles (1). Equidem vix statuere hodie apud animum nostrum possumus, quo pacto vir ceteroquin doctus et sapiens notulas ejusmodi scripserit : « Italicus ille interpres (Victorius), inquit, in magnas et theologicas ratiocinationes prodit, ut philosophum nostrum redarguat : quasi fieri unquam possit ut Theologia Scripturaque insitis humanæ naturæ affectibus repugnent, quibus firmata hæc Aristotelis sententia est (2). » Non adeo immodestus *Poeticæ* fautor Batteux, fautor tamen potius quam criticus, quan-

(1) « Der ehrliche Dacier macht es öftrer so : Aristoteles behält bei ihm Recht, nicht weil er Recht hat, sondern weil er Aristoteles ist. » *Hamburgische Dramaturgie*. n° XXXVII.

(2) Dacier. *op. cit.* Amsterdam, J. Covens et C. Mortier, 1738. Remarques sur le Ch. XIII. 1, p. 194. Cf. p. 245 « Ce principe de M. Corneille que ce qui avait une entière justesse du temps des Athéniens, n'en a plus au nôtre... me paraît la chose du monde la plus extraordinaire et la plus contraire à la vérité... » sqq. — et passim.

Vide tamen infra p. 44, n. 3 de Agathonis sententia quæ recte et lepide scripserit Dacier. De nostrate tragœdia quædam subtiliter dijudicavit. « Nous avons aujourd'hui quelques pièces simples sur notre théâtre ; mais, si je me souviens bien, hors la seule *Phèdre* de M. Racine, qui est une pièce grecque, nous n'en avons pas une seule qui soit précisément dans l'une ou l'autre de ces deux règles... Notre théâtre ne peut donc proprement se vanter d'avoir les deux espèces de tragédie, auxquelles Aristote donne le premier rang. » (*Ibid.* Ch. XIII. n. 15. p. 207.

quam nonnulla argute, nonnulla et recte explanavit, et quidem plura quam pro opinione (1). Sicut vero *textus* vitia translationis fidei offecerunt, ita multa intellexit prave, quia noluit quidquam carere intellectu. Inde *imitationis* detortus sensus, et depravata necessitatis et verisimilitudinis notitia (2), et prohibita *imaginativa vis*, et, si qua ad græcam tragœdiam pertinent, ad gallicam accommodata et, ultra quam satis est, ludicræ utilitatis respectu et angusta rerum ipsarum veritate finita, ut, quæ fuit cogitandi studiosissima ætas, in interpretanda *Poetica* maxime pedestrem curam insumpserit. Ætatis enim non minus culpa fuit quam criticorum. Non tam diligentes Aristotelis commentatores sunt, quam ex Aristotelis sacrario nimiam Cornelii aut Racinii laudationem vel detrectationem proferunt. Inde illa oracula provenerunt quæ ab Aristotelea philosophandi ratione dissident, et, quanquam putide universa, utilitati tamen inserviunt aut favori.

Inter quos princeps fuit Cornelius et falsæ illius

(1) Batteux. *Op. cit.* A Paris chez Saillant et Nyon. MDCCLXXI. « On se souviendra qu'Aristote doit donner l'idée de la tragédie prise dans sa nature essentielle, dans sa perfection idéale. » (Ch. XII. n. 3, p. 306.) — « Il y aurait peut-être un moyen de concilier Aristote avec Corneille, ce serait de distinguer le tragique d'action et le tragique de situation. » (Ch. XIII, n. 6, p. 317.) et præcipue (Ch. XVI, n° 3, p. 330) : « Crayonner l'action dans le général... sqq. » et (Ch. XXIV, n. 1, p. 391.)

(2) V. Batteux *op. cit.* I, cap. IX, 1. p. 291 sqq. Cf. Butcher. *op. cit.* p. 155.

interpretandi rationis præcipuus auctor. Qui, cum sermonem suum *de Dramatico carmine* scriberet, enucleare *Poeticæ* ambiguitates minus quam sibi Aristotelem conciliare gestiit. Atque idem, Aristotele patrono, pro domo sua argumentatus est, ut artificiis suis veniam magis, quam artis præceptis lumen afferret. Quod videlicet facillime intellegetur, si quomodo imitationis vim notionemque conjiciat, animadverteris. Nam Aristoteles eam legem ponit, ut, omissis quæ evenerunt, ea poetam imitari oporteat, quæ evenire aut possint aut soleant secundum necessitatem aut verisimilitudinem (1). Quod quidem sic Cornelius explanavit : nempe duo esse in tragœdia secernenda, primum quo loco, quo tempore res gerantur, deinde quo pacto inter se cohæreant et aliud ex alio oriatur. Neminem autem fallit, quantum operæ unicus ille poeta uberrimi ingenii in servanda loci et temporis unitate impenderit, non semel duram necessitatem elapsus. *Necessitatem* igitur (τὸ ἀναγκαῖον) illam nuncupat scænicam et theatri propriam ac prope histrionalem, non tragici carminis natura nec meditato rerum ordine desideratam, verum actorum sermonibus et concursationibus requisitam (2).

(1) *De poet.* IX, 1451 a 35, sqq.

(2) « ... Il n'est point vraisemblable qu'ils s'écartent eux deux pour cette conjouissance ; *mais il est nécessaire pour le théâtre...* » (*Discours sur le poème dramatique*, p. 26, col. 1. Garnier frères,) et ibid. col. 2 : « *Cette réduction de la tragédie au roman* est la pierre de touche pour démêler les actions *nécessaires* d'avec les *vraisemblables*. »

Quæ quidem quantum ab Aristotelea necessitate abhorreat, manifestum est. Quid dicam « mores bonos », quorum in quindecimo *Poeticæ* capite usus imitatori præcipitur, suopte modo, ac mehercule! ad suarum personarum imaginem commentando Cornelium effinxisse ? Quorum enim bonitatem ait suppetere, dummodo in honestæ aut scelestæ mentis habitu quodam et illi personæ, quæ in scænam deprompta fuerit, consentaneo præclari aliquid et excellentis inesse videatur (1). Unde fit ut Cleopatra, quam exempli gratia commemorat, scelestissima bonos mores retineat. Non quo sermones illi de tragœdia a præclarissimo tragœdiarum auctore excogitati nullius sint pretii *Poeticam* exarantibus. Immo lectione ac meditatione digni sunt, et ubi exactam scænicæ artis et insignem nostratis tragædiæ notitiam reperias, non sine ingenua aliqua sui laudatione (2). Inde « *Dramaturgia* », et iræ.

Etenim ipse Cornelius non modo Dacier, sed et Lessing suscitavit. Qui adversus Cornelium magis præliatus est, quam Aristotelem explanavit, et *Poeticam* exaravit minus quam arripuit et in nos libravit (3) telum non mediocre. Nec idcirco in

(1) *Ibid.* p. 13. col. 1 : « ... Je crois que c'est le caractère brillant et élevé d'une habitude vertueuse ou criminelle, selon qu'elle est propre et convenable à la personne qu'on introduit. »

(2) *Ibid.* p. 36, col. 2 et p. 37, col. 1 et 2.

(3) « Ein Anderes ist, sich mit den Regeln abfinden, ein Anderes, sie wirklich beobachten. Jenes thun die Franzosen...

admirando Stagirita remissior est nec multo minus ejusdem imperio subjectus; quippe cujus auctoritatem tam locupletem errorisque immunem existimaverit, quam ipsa Euclidis elementa. Multa nihilominus acuto ingenio perspexit, et in primis metum et miserationem, quos animi motus commodi sui gratia Cornelius separaverat, in tragicum consortium redegit. Atque idem, quanquam in hac nostra controversia erravit, ad mores in melius informandos maxime pertinere imitationem ratus, et in eam ipsam fraudem incidit, quam Cornelio et Dacier crimini verterat; hoc tamen præstitit, quod nullam comprobari posse *Poeticæ* commentationem asseveravit quæ ceterorum Aristotelis operum (1), tamquam certo et necessario adminiculo careat, et doctum et eruditum illorum, qui quidem quæstionem hanc attrectavere, germanorum criticorum proventum tulit.

Qui, si non omnes consenserunt, — irritabile grammaticorum genus, — sic tamen Aristotelis libellum exaraverunt, ut singulæ mendæ et falsæ lectiones et sententiæ ambiguæ omnium Aristoteleorum librorum comparatione, quantum res sineret, explanarentur, auctore Lessing et duce paulo post Schlegel. Etenim egregius hic magister, cum de

» sqq. (*Dramaturgie*, n° XLVI) et hoc quoque : « Aber ich weiss wohl was ich dabei denke... dass auch die Franzosen noch kein Theater haben. » (*Ibid.* n° LXXX.)

(1) « Aristoteles will überall aus sich selbst erklärt werden... » sqq. (*Dramaturgie*. n° LXXV.)

dramatica arte dissereret, *Poeticam* attigit, et quid sonet imitatio, artium liberalium et principium et fons, edocuit ; quam quidem ad cogitata spectare et animo concipi professus est, non tamen ut leve simulacrum sit et, solidi corporis inops, in auras evanescat. « Nam frequentius accidere solet, ut, si quis artifex, quæ mente comprehenderit, ea tantummodo conetur exprimere, nihil aliud quam fugitivas umbras et inanes imagines effingat, quæ, tenues, sine corpore, vita carentes, nos non moveant, nisi leviter et strictim... Græcis autem datum erat, ut cum *idea rem*, immo vero etiam (si scholastica nomina licet omittere), ut cum quadam supra naturam excedente magnitudine omnem naturæ veritatem consociarent ; atque illi cum non incerta et veluti natantia imitatione informabant, tum hominis effigiem æterno et inconcusso ethicæ libertatis fundamento collocavere. Quid quod ficta effigies illa, exemplaris propositi similis, et terrestribus partibus pariter mixta, et suopte pondere stabilita, eo firmior stabat quo gravior moles erat et amplior (1) ? » Quamvis igitur majorem imitationis partem universis notionibus Schlegel tribueret, a singularum rerum et naturæ veritate adeo non abhorrebat, ut nimio plus huic indul-

(1) Schlegel. *Cours de littérature dramatique*. I, III leçon, p. 118, 119. Paschoud. Paris et Genève 1814. Cf. *ibid*. p. 103... « en sorte que la *représentation de l'individu était toujours le dernier degré auquel ils arrivaient*. »

sisse videretur. Quamobrem impigre germani ætate nostra permulti philosophi, critici, grammatici orti sunt, qui ideæ patrocinium plerique susciperent, et quidem telis sæpe non rudibus dimicarent. Quorum ego principes attingam, e quibus auxilii aliquid comparavi ; et, quam disputationis viam ingressi quid adhuc reliquerint de quo ambigatur, breviter intraque hanc imitationis quæstionem, quæ nostra est, assequar.

Ab Eduard Müller initium est (1). Is enim et contra Schlegel fecit, et, Lessing auctore, Platonis Aristotelisque scientia non tinctus, sed imbutus, scripta scriptis, sententias sententiis contulit ; cui tamen, quia universa eo ardentius fovit quo singulas res naturamque magis fastidivit, illud accidisse opinor, ut quatenus Platoni Aristoteles occurrerit (2) potius monstraret, quam insignem et unicam Stagiritæ disciplinam et imitationis notitiam in apricum (si licet pace tua Horatianum hoc usurpare) tandem aliquando proferret. Quanquam ille primus controversiam ex ambiguitatibus sustulit, et ex Aristoteleæ philosophiæ cum Platonica doctrina comparatione (3) justum initium sumpsit, et quo temporum et græci ingenii discrimine differentes de ingenuis ar-

(1) *Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten*. Breslau 1837. Zweiter Band.

(2) *Ibid*., p. 176-178.

(3) Quid discrepet inter Platonem et Aristotelem p. 3, et 84-85.

tibus scripserint (1), dilucide edocuit. Omitto eum et musicæ imitationem explanavisse, quomodo animi motus per rhytmos effingantur (2); et multa prætereo aut ambigua illustravisse aut falsa rejecisse.

In hoc autem vere Germanus fuit philosophus, quod ideæ fautor nullum favori suo modum fecit, et, postquam alteram Aristoteleæ disciplinæ partem despexit, Aristotelem quemdam nobis effinxit, ut mea fert opinio, tam Platonicum quam ipsum Platonem (3). Quam quidem viam ingressi, multi inter germanos criticos ultra quam satis erat processisse mihi videntur. Duo tamen sunt, quos excerpere velim : quorum alter, contra Spengel adversatus, doctissimus idem et naris emunctæ grammaticus, Vahlen *Poeticam* ita recensuit et commentatione (4) tam erudita explanavit, ut beneficium insigne in omnes contulerit, qui in exaranda *Poetica* elaboraverint aut operam sint in-

(1) *Ibid.* p. 178 : «... Die Zeit phantastischen, poetischen Pläne und Ideen war vorüber ; mit der Kunst also wenigstens hatte die Philosophie um den Boden nicht mehr zu kämpfen... » sqq.

(2) *Ibid.* p. 13.

(3) *Ibid.* p. 107.

(4) Aristotelis de arte poetica liber, *tertiis curis recognovit et adnotatione critica auxit Johannes Vahlen.* Lipsiæ. MDCCCLXXXV.

Beiträge zu Aristoteles Poëtik, von dem w. *M. J. Vahlen.* Sitzungsberichte der kaiserlichen Akademia der Wissenschaften (Philosophisch — Historische classe) 1865-Juni. 1866-Jänner. 1867-Juni. 1867-Juli.

sumpturi; alter, exactus minus, verum philosophorum ingenio et singulari acumine præditus, nomine Teichmüller, omne punctum, quatenus in humana scientia est, vere tulisset, si minus indulsisset temeritati et novitati (1). Ille est, qui et ideæ et rerum finem imitationi imposuit maxime, ut opinor, Aristotelis sententiæ aptum. Quorum in numerum Bernays et Reinkens (2) adjungam, quorum ex opusculis fructum percepi, et Christ quoque, cujus *textum* plerumque lectione secutus sum, nunquam tamen omisso Vahlen. Ab Egger perpauca retinui (3). Recentissimum denique missum facere nolim, anglum magistrum Butcher (4), qui, etsi quidquid de Aristotelis *Poetica* scriptum est, le-

(1) *Aristotelische Forschungen* von Gustav Teichmüller. I. Beiträge zur Erklärung der Poëtik des Aristoteles. Halle. 1867. II. Aristoteles Philosophie der Kunst erklärt von Gustav Teichmüller. Halle. 1869.

(2) *Zwei Abhandlungen über die Aristotelische Theorie des Drama* von Jacob Bernays. Berlin 1880 (zuerst erschienen... 1853. 1857).

Aristoteles über Kunst besonders über Tragœdie, exegetische und kritische Untersuchungen von Dr Joseph Hubert Reinkens, Wien 1870.

(3) Essai *sur l'Histoire de la critique chez les Grecs, suivi de la Poétique d'Aristote* etc... Paris, 1849. *Aristote, Poétique*, Traduction française par E. Egger. Hachette 1878.

(4) *Aristotle's theory of poetry and fine art*, with a critical text and a translation of *Poetics* by S. H. Butcher. London. Macmillan and co. 1895. Quo quidem ex libro, quanquam contrariam sæpe in partem inclinatus, maximum auxilium comparavi, atque comparavisse me magna cum verecundia profiteor.

git atque concoxit, et magna cum meditationis facultate Stagiritæ doctrinam excussit, philosophorum tamen disciplinæ inserviit magis quam poetarum aut artificum ingenio sese familiariter applicuit, imitationisque interpretationem a Müller traditam non modo non fugit, sed et ultra provexit, universarum notionum studiosior quam rerum (1).

Ita igitur se habet quæstio hæc, cujus ultro suscepimus pondus, quamque circa non speramus fore ut quidquam novi a nobis proferatur ; si quid certi scripserimus, sat erit.

(1) Quod ad summam Aristoteleæ disciplinæ pertinet, maximum fructum e magistri mei, quem verbis laudare admodum sit præposterum, Emile Boutroux doctissima disputatione (article *Aristote* de la grande Encyclopédie) percepi ; quocum non laudatione intempestiva sed gratibus meis conjungi placet Alfred et Maurice Croiset, litterarum græcarum scriptores. (*Histoire de la littérature grecque*, vol. III et IV. Paris, Ernest Thorin. 1891. Thorin et fils 1895.). Quorum e lectione quantum auxilium comparaverim, mox patebit.

CAPUT II

QUID SONET IMITATIO ET UNDE FIAT POETICA VERITAS

I

Quatenus in efficienda imitatione res oculis subjectæ valeant.

A philosophia, auctore Müller, disputandi exordium capiam. Etenim, cum Aristoteles *Poeticæ* præcepta finiret, illius ante oculos versabatur doctrina illa a Platone excogitata et in *Republica* maxime exprompta; qui quidem, in incorporali idea totam pulchritudinis disciplinam sitam esse ratus, et in abstracta absolutaque τοῦ εἶναι notione defixus, τὸ γίγεσθαι nihil aliud esse quam verbum τῷ εἶναι contrarium existimavit; ac sic in illa sublimiorum cogitationum regione poeticam veritatem repperit, nedum in hoc nostro terrestri, rudi et imperfecto orbi, et qui non adeo verus est ut in transitu verus esse possit, depravatam quam-

dam veluti speculo imaginem veritatis pro veritate ipsa duceret. Quamobrem si quis pictor homines, animalia, res, et si qua sunt imitatoris oculis subjecta, fideliter arte manuque informat, nihil aliud exprimere solet quam falsum falsi simulacri simulacrum (1). Quantum vero ab *idea* dissideant imagunculæ istæ, bis mancæ et mendaces, manifestum est (2). Atque idem poetis accidat necesse est, ut usu cognitam hominis naturam sane habeant, quid autem de intima ipsius animæ natura sentiant prorsus non habeant (3); nec mendacii nec impotentiæ crimen opprobriumque effugerint, ad majorem philosophorum gloriam capite deminuti et exterminati.

Equidem non contra Platonem Aristoteles fecit. Errant qui sicut alterum mentis, ita alterum singularum rerum tantummodo curiosum fuisse arbitrantur. Qui fieri potuisset, ut vir Græcus, philosophus ex Academia ortus, omnibus disciplinis honestisque artibus imbutus, et lectionibus munitior ad intellegendum, quam qui maxime, rerum speciem, non res ipsas causasque et fœdera naturæ perscrutaretur? Quare sui eum magistri non tam adversarium fuisse putem quam liberum discipulum. Verum menti suæ, vel potius (propter egestatem linguæ Augustini hoc usurpare mihi liceat) *imaginativæ vi* modum fecit, eadem ratione

(1) *De rep.* x, 596. E.
(2) *Ibid.* x, 597. E.
(3) *Timæus* 19, D.

usus et ea quam omnibus disciplinis adhibuit, ut, cognitis iis quæ sunt, universam rerum notitiam tum demum affectaret. Jam naturam non utpote inertem et sopitam perscrutatus est, sed quid in unaquaque re intus elaboretur dispexit finivitque. Nam ut « fieri » tempore prius est quam « esse » et quid fiat ante mente concipitur quam quid sit, sic ex iis quæ fiunt cogitanti aditus est ad ea quæ sunt et rursum universorum cognitione singulorum perspicientia continetur. Immo etiam citra terrestrium corporum contemptum philosophiæ suæ Aristoteles fundamenta collocavit, et ad certam et finitam quamdam causarum communiumque notionum scientiam maluit diligenter accedere, quam in sublimia et commenticia et mente excogitata spatia præceps evadere. Quam philosophandi rationem dilucide aperuit Boutroux, et : « Ubique, inquit, Aristoteles in re ideam indagare solet, et in imperfectis et in fortuitis quid absolutum et perfectum insit, investigare. Ubique in eo elaborat, ut, si qua fluxa et lubrica observaverit, inde exprimat certe finita et quæ in animo fideliter sedeant... Quin etiam, ut generaliter omnia repetam, ex inferioribus, vel quoque per inferiorum notionem, superiora cognosci possunt ; atque invicem, si qua sunt superiora, ibi demum vera inferiorum causa et ratio inest (1). » Constat ergo tria esse, quibus philosophi

(1) Article *Aristote* de la grande Encyclopédie. p. 935, col. 2. *Cf. Ibid.* p. 936, col. 2. « Comment procède Aristote pour

cogitatio includitur : primo, si res observet, deinde, si ideam concipiat, ac denique, si ex idea in res singulas rursus communium notionum scientiam traducat ; nec quidquam esse præterea amplius. Atque idem poetis et artificibus evenire patet, uno excepto, quod illis cum hominum sensibus res est, et universorum prudentia, quam philosophi occupant, qua delectantur in eaque tandem conquiescunt, nullius prorsus pretii est, nisi figura et corpore et habitu quodam, et si qua sensibus percipi solent, ornata et induta (1). Unde denique concluditur res duas demum esse, nec plures quidem, quibus ingenii manusque opera continentur : quorum altera singularum rerum observatio est, altera universarum notionum non tam scientia quam usus ; atque ita apparet, si totam Aristotelis sententiam fuimus consecuti, duplicem, ut sic dixerim, esse imitationis vim, qua veritas poetica efficitur, poetice vera, id est rerum et ideæ veritate pariter et ingenue mixta.

acquérir la science ainsi entendue ? Aristote n'est ni l'idéaliste dogmatique que suppose Bacon, fabriquant le monde avec les seules catégories, ni l'empiriste que voient en lui beaucoup de modernes... Il allie et combine intimement l'étude scrupuleuse des faits et l'effort pour les rendre intelligibles... » Cf. *de Aristotelis ingenio*, *ibid*. p. 934. col. 2 : « Il n'a pas l'élan de Platon : l'esprit tourné vers la réalité donnée, il tient pour chimérique ce qui serait sans rapport avec elle. En toutes choses, il recommande le juste milieu, la mesure. » V. infra. IV, p. 97.

(1) V. Butcher *op. cit*. cap. IV. The end of fine art. p. 185-199.

Quid autem sonet imitatio, nunc demum explanare licet. Vocabulum etenim illud nec Plato nec Aristoteles creavit, sed uterque a majoribus traditum accepit; quanto vero latius in *Poetica* pateat, minime obscurum est. Primo usitata est et pedestris veluti nominis vis, quam Aristoteles retinuit, tamen sine ullo, sicuti nuper diximus, liberalium artium contemptu. Interdum poetici cujusdam operis summa « imitatione » nomine aut infinitivo « imitari » significatum videtur; interdum utrumque idem valere putes ac nostrum hoc : « artem », aut « artis opus efficere. » Est etiam ubi hanc illi vim in eadem conclusione propius admotam reperias. « Ἐπεὶ δὲ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων ἢ καθ' ἡμᾶς, δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους (1)... » Atque item, si quis pictor cervam quamdam cornibus ornatam effinxit, quia carere cervas nesciit, levius peccavisse dicitur quam si ἀμιμήτως (2) effinxisset, adhibito quidem trito et vulgari vocabuli sensu. Si vero ad sententiam hanc animum verteris : « ἐπεὶ γάρ ἐστι μιμητὴς ὁ ποιητὴς ὡςπερανεὶ ζωγράφος ἤ τις ἄλλος εἰκονοποιός, ἀνάγκη μιμεῖσθαι (3)... » aliam et singularem illi « μιμεῖσθαι » vim esse subjectam dispicies. Quare non infitias eo,

(1) *De poet.* 15.1454 b. 8. sqq. V. Müller *op. cit.* de imitationis divisione : mutam quidem picturæ et poesis separavit ab altera, quæ tragœdiæ est, cum musica conjuncta et actionis propria. Cf. Butcher. *op. cit.* cap. II, p. 115, n. 1.

(2) *De poet.* 25, 1460 b. 34. Cf. 13, 1452 b. 35 et 26,1461 b. 13.

(3) *Ibid.* 25. 1460 b. 8.

quamvis multi philosophi et critici repugnent, ducem Teichmüller me libentius sequi (1); nec in *Poetica* verbis pluribus, inter quæ imitatio est, unum et perpetuum sensum et eumdem plane atque in ceteris Aristotelis operibus subesse arbitror. Non quo vocabula Aristoteleæ philosophiæ in diversam et contrariam omnino partem accipere oporteat. Verum alia humanæ mentis exercitatio, sicut artes ingenuæ sunt, etsi aliam cogitandi et philosophandi rationem non requirit, tamen interdum discrimina cogitationum alia et tenues verborum differentias coloresque desiderat. Nec quia studiorum suorum propositam materiam immutavit, Aristotelem contendam Aristoteli adversari. Immo sicut e tota illius doctrina *Poeticæ* disciplinam conficiendam esse censui, non tamen ut ne quid inter philosophorum et artificum rationem aliquando intersit, sic et in ceteris Stagiritæ libris usurpatum vocabulum hoc « imitari », et in *Poetica* præcipue, etsi primo adspectu varie ac diverse adhibitum, intra duplicem ferme significationem coerceri posse reor, et modo singularum rerum, universarum modo notitiarum imitationem declarare (2). Similiter occur-

(1) V. Teichmüller. *op. cit.* II, *Aristoteles Philosophie der Kunst.* Quellen und Terminologie. § 2. p. 4-8.

(2) V. Butcher. *op. cit.* Cap. II, p. 116 : « A crucial instance of the inadequacy of the literal english equivalent « imitation » to express the Aristotelian idea is afforded by a passage in Ch. XXV. The artist may imitate things *as they ougth to be* : he may place before him an unrealised ideal... It has been

runt nobis verba aliquot in duas sententias accepta : nam πρᾶξις communem et interiorem actionum compagem indicat, quarum tamen una est et singularis πρᾶξις φθαρτική ; nec aliter μῦθος, τέλος, ἀνάγκη, ἦθος vel etiam ἤθη gemina quadam verbi notione usurpari solent (1).

Unde igitur Aristoteles initia ceperit, nemini dubium esse potest. Cum enim artium partitionem faceret, et poesin definiret et a politica, quamvis repugnavisset Plato, distingueret, (2) et crebro cum pictoribus poetas conferret (3), et tragœdiam auditorum lectorumque vectigalem et purgationi illi, de qua mox dicemus, idoneam faceret, nihil aliud quam usu et experientia artem poeticam fulciebat. Quare cur poesis artesque ingenuæ natæ sint, alteram esse causam imitationem affirmavit (4) ; et illud præcipue contigisse, quod inter

already mentioned that « to imitate nature » in the popular acceptation of the phrase, is not for Aristotle the function of fine art. » Equidem utrimque errare Butcher existimo, et utramque « imitationis » propriam esse vim et imitandi rationem.

(1) V. infra, p. 77 sqq.

(2) *De poet.* 25, 1460 b. 15.

(3) V. p. 25. Cf. p. 101, n. 1. Cf. *De poet.* 2, 1448 a 5. Cf. *ibid.* 6, 1450 a 26 sqq.

(4) *De poet.* 4, 1448 b. 5 sqq. V. quomodo locum totum Vahlen interpretatus sit, et alteram poesis causam ex insito quodam rhytmi studio ortam recte intellexerit. Cf. *Metaph.* 900 a 21. *Rhet.* 1371 a 33, *ibid.* 1410 b. 10, *De part. an.* 645 a 11 sqq. (*Sitzungsberichte der kaiserl. Akademie der Wissenschaften*, Heft III, 1865. Juni p. 274 sq.)

omnia animalia hominem maxime imitatio juvet et primam discenti voluptatem suppeditet; nec pulchris rebus tantummodo nos, verum etiam, si qua turpia non sine horrore quodam viderimus, eorum imagine vel quoque fideliter expressa delectari, seu quod, exemplari agnito, doceamur, seu, ignoto, quia coloribus omnino et imitatoris artificio gaudeamus. Sequitur ut primum imitatio, de qua controversia est, veram vim jam in se habeat, siquidem non totam, et ex ipsa hominum natura originem carminis certam et usu comprobatam quærens Aristoteles eam imitationem dicat, quam secuti artifices et propositum quoddam exemplar intuentes pictam imaginem aut marmoreum simulacrum reddunt. Nam simile esse prius est quam agnosci. Quamobrem *Poeticæ* ratio et doctrina rerum ipsarum terrestri veritate, non ideæ auctoritate primum utuntur, et principium sibi desumunt non philosophis tantum, sed et « ceteris pariter » clarum (1). Imitationem posthac latius patere non ignoro, ac minime miror, duplicem esse ratus. Nec omitto alias artem poeticam « ideæ veræ consentaneam (2) » dici, nec transmitto nimis decantatum hoc « <ἣ> οἷα εἶναι δεῖ (3), » cui obnoxia imitatio est. Altera est imitandi pars, quam suo loco attingam. Nunc vero

(1) *De poet.* 4. 1448 b. 14.

(2) *Eth. Nic.* VI, 4, 1440 a 10 : « ἕξις μέτα λόγου ἀληθοῦς ποιητική. »

(3) *De poet.* 25. 1460 b. 11.

inde controversiam auspicari liceat, unde initium sumpsit ipse Aristoteles, nec Platonem secutus, qui ideam imitatione depravari dixit, nec a rebus singulis sic dissidens, ut quidam mentiuntur. Id demum imitationis principium esse lucet, quod ὁμοίωμα vocatur.

Jamdudum vicit Teichmüller, alterum esse signum (σημεῖον), alteram similitudinem ὁμοίωμα (1); et hoc artifices uti, non illo cum bene perspexit tum multis Aristotelis locis coarguit. Quod sic in breve hujusmodi verbis Butcher nuperrime coegit : nempe in artificioso opere similitudinem inesse ab exemplo ductam, non per *symbolicum* signum expressam (2). Atque idem recte, eadem Aristotelis loca atque olim Teichmüller testatus : « Nec signum nec symbolum, inquit, necesse est natura similia aut affinia designatæ rei esse. Nam et pronuntiatis vocibus varii mentis habitus significantur, et scripta pronuntiatorum signa sunt, non tamen natura affinia, verum per quoddam pronuntiantium pactum ; nec rursus quæ menti fuere impressa, signa ea sunt nec symboli, sed exterioris cujusdam veritatis simulacra quædam ad rerum ipsarum similitudinem expres-

(1) Teichmüller. *Op. cit.* II, Gegensatz von Zeichen und Ebenbild. 145-154.

(2) Butcher. *op. cit.* Cap. II. p. 118 : « A work of art is likeness (ὁμοίωμα) or reproduction of an original, and not a symbolic representation of it. »

sa (1). » Unde fit ut nihil artifices creent, præter imagines rerum similes et quæ in animo insideant. Quæ autem sit illa mentis vis, quod φάντασμα (2) Aristoteles vocavit, utrum fideles corporeæ (pace tua dicam) veritatis effigies retineat, an deformatarum sensibus figurarum receptaculum vel potius deversorium esse videatur, philosophorum illa disputatio, non nostra. Sit ergo nobis similitudo re (3), non verbo tenus, prima imitationis condicio, et ex ipsa natura, quam oculis auribusque et aliis sensibus percipimus, artibus materia suppetat ; sit et Aristotelea hæc sententia hujus interpretationis probabile documentum, qua maxima esse poeticæ orationis virtus declaratur verborum translatio ; « quæ enim non modo non tradita accipitur, ait, sed beatissimum etiam ingenium arguit, siquidem feliciter verba transferre perinde est ac similia dispicere (4). » Illud denique sit exemplar primum et necessarium, sensibus et illi mentis facultati, quod φάντασμα diximus, propositum (5),

(1) *Ibid.* p. 118-119. V. N. I. p. 119 — *De Interpr.* I. 1. 16 a 3.

(2) *De Mem. et Rem.* 1. 450 a 27-451 a 17.

(3) V. de moribus tragicis, qui *similes* esse debent, infra p. 82.

(4) *De poet.* 22. 1459 a 7 sqq.

(5) Teichmüller. *Op. cit.* II p. 187. Die objective Bestimmung des Schœnen. « Denn muss es (das Schœne als Gegenstand der Kunst) immer ein *Einzelnes, Individuelles* sein, d. h. ein solcher Gegenstand, der durch die *Sinnlichkeit* und *Phantasie* aufgefasst wird, im Gegensatz des *Abstracten* und bloss *Theoretischen.* »

quod intuentes artifices in eoque defixi ad ejus similitudinem artem manumque dirigant. Nisi forte miraris Aristotelem omnium rerum curiosum hac imitatione artes continuisse. An singulas res bene perspicere id demum firmissimum poesis adminiculum esse negaveris? An poetas in suum locum et honorem ita restitui ægre feras, Platoni amicior quam veritati? Comperit autem Stagirites, longum vernacularum artium ordinem mente complexus, cum ipse Plato nonnihil ex Ægyptorum philosophia retinuisset, *symbolicum* tamen eorum ingenium in Græcorum ædificiis, templis, statuis, picturis, carminibus, et si qua alia fuerunt artificiosa opera, nihil omnino effecisse; et eam præcipue artificum virtutem fuisse, ut eximiam illam, de qua M. Tullius scripsit, pulchritudinis imaginem affectarent, nunquam omissis singularum rerum peculiari forma ac terrestri veritate. Qui cum utramque ingenue imitarentur, non proprio ingenio solum indulgebant, sed et gentili; nec Phidiam excipio, nec ipsum Polygnotum, qui, quanquam meliores homines et mores quam pro hominum natura effinxisse refertur (1), homines tamen pinxit, hoc ferme uno Zeuxidis dissimilis, quod ideæ ille plus, hic similitudinis veri magis imitationi suæ infudisse videtur. Nec missum facio studium illud corporeæ formæ insigne,

(1) *De poet.* 2. 1448 a 5 et 6. 1450 a 28 sq. Quo de *Poeticæ* loco ac præsertim de Zeuxide V. Vahlen *op. cit.* Heft. III. 1867. Juli. p. 380.

unicuique græco insitum et innatum ; nec ludos sollemnes, nec celebrem Corinthum, nec denique Pindarum præstantissimum summæ et perfectæ pulchritudinis laudatorem at eumdem tamen decoris et roboris et animalium exemplarium unicum æstimatorem. Quid græcam religionem dicam, naturam rerum ita imitando adauxisse, ut dii plus quam homines, vel, si melius placet, homines deminuti dii esse viderentur. Quæ omnia a majoribus tradita fidelius tuetur Aristoteles quam Plato. Hic enim vetuerat (1), ne quid in fingendis deorum figuris aut rude aut flagitiosum adhiberetur, Homerumque réprehenderat, quod Achillea, deæ filium, feritate animi quadam et excelsitate mixtum informavisset ; ille autem, a magistro suo dissentiens (2), et pro Homero stetit et poetas a veritate communi et a majoribus tradita jussit proficisci, utpote qui non e pellucido cogitationis fonte sed ex ipso rerum singularum spectaculo carminum artiumque primordia hauserit.

Quamobrem ego vix inire causam possum, cur ex germanis commentatoribus plurimi, et nuper-

(1) *De rep.* 391 C.

(2) *De poet.* 25. 1461 a 1 Cf. Vahlen. *Op. cit.* Heft. III. 1867. Juli p. 359-360. Cf. Teichmüller. *Op. cit.* I. p. 83-84. « Während Plato an dem Bilde des Göttersöhnes alle Flecken auslöschen will und hier besonders die unmögliche Vereinigung widersprechender Leidenschaften tadelt : so sieht Aristoteles grade darin die richtige Vereinigung des Realismus (ὅμοιον) mit dem Idealismus (ἐπιεικεῖς ποιεῖν-ὅπως χρηστὰ ᾖ).

rime apud Anglos Butcher (1), nihil veri artificibus posse contingere, nisi e communibus notionibus, existiment, Aristoteleæque doctrinæ auspicia transmittant. Si πρᾶξιν nuncupant, mentis tantummodo communem habitum, vel intimum discursum significant : Stagiritæ in eo dissimiles, quod mentis et figuræ societatem solvunt, et, quo externa internis sunt revincta, vinculo prope resecto, e vasta et hiante posthac doctrina elapsi sublimem ideæ regionem occupant (2). Atque ita *Poeticam* interpretantur, quasi nulla esset singularis animi aut affectus similitudo, nulla exacta imitatio, sicut rerum esse manifestum est. Quod Teichmüller *Realismus* (3) vocat, respuunt. Vim quidem naturæ, naturam vero ab artificibus omnino non effingi edocent. « Jam commemoravi, ut scripsit Butcher, quam vulgo dicunt naturam imitari non esse, si Aristoteli fides est adhibenda, artium munus. Immo ἤθη πάθη, πράξεις tripartita sunt, in quibus imitando elaboratur (4). » Sane sint. Doctissimum autem philosophum rogare gestiam, probatumne aliquem artificem unquam sectatus sit, et laboribus interfuerit, concordem ingenii manusque diligentiam intuitus ? Qui si illum linearum colorumque amantissimum percontatus fuisset, quid propositi haberet et artifi-

(1) V. Butcher. *loc. cit.* p. 116 et passim.
(2) V. infra p. 88, de mediocri morum veritate.
(3) V. supra p. 32, n. 2.
(4) Butcher. *Op. cit.* p. 116.

ciosa imitatione primum attrectaret, num eum arbitraretur πράξεις, πάθη, ἤθη extemplo responsurum fuisse? At enim de poetis agitur; ita res se habet, dummodo tecum repules artium affinitatem quamdam esse, et quidem ab Aristotele non semel et in ceteris operibus et in *Poetica* præsertim repetitam (1). Commentatorum, non artificum impetus ille est, terrestris veritatis impatiens, atque impotens cogitationis furor. Certe non Aristotelis esse mihi videtur, qui et majorum et suæ ætatis artes ingenuas accuratissimo studio prosecutus, usu et experiendo aditum ex rebus ad intimam rerum notitiam nactus est, nec salebrosum illum nec ulla in parte interclusum, sed continuum et planum, ut e singularium rerum imitatione universarum notionum contingeret imitatio. Poesis itaque, et si qua est ars alia imitandi, agentes homines imitatur, quorum acta sensibus primo imitatoris percepta cum aliquo agentis affectu aut habitu cogitando consociantur (2). Nullus est hiatus, nec ullum intervallum secludit ea quæ sensibus percepta ab iis quæ mente comprehensa fuerunt : immo naturale quoddam et individuum consortium fit, sicut illud est corporis animique

(1) V. supra p. 27 n. 3.

(2) V. Butcher. *Op. cit.* p. 118. Alteram quidem imitandi viam, quæ prior est, quæque e singularum rerum cognitione oritur, neglexit; qua omissa, extemplo universas notiones et intimam hominis notitiam appetit, quas rursus rerum in veritate ingeneraret.

proprium. Nonne ipse Aristoteles scripsit : « Tripartitis igitur bonis, siquidem alia externa, animi alia et corporis alia esse dicimus, quæ animi sunt maxima ducimus et optima. Actiones vero et animi vires animo circumponimus (περὶ ψυχὴν τίθεμεν ? (1) » Mox, cum tragœdiam attingemus, nobis in *Rhetorica* reperire licebit, quibus motibus illæ actiones atque animi vires distingui possint, quibusque rationibus moveantur moveantque. Nulla est rerum et arcanæ mentis repugnantia ; immo alterum alterius indicium est ac supplementum, (altero quidem majus hoc quod animi est), ut totum illud fiat, in quo et artium et rerum ipsarum causam finemque comperias. Nec aliter in Græcorum picturis aut carminibus evenit, in quibus locorum aut animalium descriptæ imagines clariorem mentis humanæ veritatem fecerunt. Sicut enim nullum Græci aheneum murum inter ideæ regionem sublimem et ea quæ sunt in medio posita interjectum esse vulgo putaverunt, sic et exterioris et interioris mundi (si verbo uti licet) imitationem una convenire Aristoteles æstimavit.

Argumento etiam est quod illam ethicam musicæ vim ab imitatione non dissidere scripsit. Nam nos hodie miramur musicam artem ante ceteras a Græcis poni, immo morum capacissimam haberi, et eam plerumque dictitari, quæ non in movendis tantummodo audientium affectibus sed et in insti-

(1) *Eth. Nic.* A. 7 1098 b. 12 sqq.

tuenda adulescentium indole plurimum efficiat (1). Item sensit Aristoteles maxime omnium musicam esse imitatricem, et quidem morum et affectuum præcipue ; nec ullam aliam imitandi artem in hoc tantopere valere. Cujus « in modis et numeris vere aliquid inest iræ et mansuetudinis, et omnium quæ ad mores pertinent, persimile (2) ».

Equidem non animo harmoniam includi sed in animo moveri asseruit. Animus enim ille quemadmodum agitatur, nedum in harmonia conquiescat, et tenorem quemdam agitationis servat, et quanquam diversissimus et in contrarias partes jactatus, continuus tamen est et, sive vicit ira, sive mansuetudo, sive eorum similia, suapte natura perpetuus, sic continuus sonorum inter se alternantium et modorum numerorumque perpetuus ordo quamdam non oculis, verum (ut ita dixerim) auribus imaginem suppeditat (3) ad morum similitudinem expressam nec idcirco a sensibus et rebus et corporea veritate remotam. Sic quoque per rhytmorum numerorumque figuras saltatores animum imitantur et intimorum motuum moti-

(1) *Polit.* E (Θ) 5. 1340 a, 21-23 ; — *ibid* 1340 b. 5-13. Lege totum hunc Platonis locum.

(2) *Polit.* E (Θ) 5. 1340 a 18 sqq. « Ἔστι δὲ ὁμοιώματα μάλιστα παρὰ τὰς ἀληθινὰς φύσεις ἐν τοῖς ῥυθμοῖς καὶ τοῖς μέλεσιν ὀργῆς καὶ πραότητος... καὶ τῶν ἄλλων ἠθικῶν. » Perlege totam hanc paginam.

(3) Müller *Op. cit.* II. Band. p. 10-13. Cf. Butcher. *Op. cit.* p. 122-125.

bus suis similitudinem referunt (1). Itaque e rerum aspectu ad morum notitiam pergitur, et sub uno ingenii conatu externa pariter et interna omnia parent.

At enim pictura minus multo *ethica* est quam saltatio, si te ad Aristotelis doctrinam conferre vis ; et quæ ad rerum aut hominum similitudinem plus dirigitur, ne saltatoriæ quidem arti ars illa compar dici potest (2). Primum, hercule, videndum est ne apud Græcos ita consociatas musicam, poesin, saltationemque fuisse obliviscaris (3), ut veras et animatas et agentes et cogitantes simul effigies oculis mentique præberent cum maxima consortium sensuum et intellegentiæ voluptate. Mutæ contra et rigidæ pictura statuaque oculos non aures morantur, et numeris pariter modisque musicæ carent ; quæ, quanquam artificis ingenio compositæ, fluxum unum et veluti furtivum corporis mentisque habitum coloribus et lineis inscribunt. Nulla denique est animi in contrarium jactati similitudo tam pictura quam rhytmo modorumque vicibus expressa : rhytmus enim animæ affinis est, et huic, quam interiorem

(1) V. Müller *Ibid.* p. 9. Cf. infra, pp. 77, sqq. quomodo interiorem mentis actionem, singulis in scænam traductis actionibus, oculis spectantium manifestam explanem.

(2) V. Butcher. *Op. cit.* p. 126. et N. 1. De pictura et de obiter in *Poetica* dictis.

(3) Æschylus ipse traditur novos corporis motus et chorearum modos docuisse.

vitam recentiores critici vocant, proximus (1).

Igitur Aristoteles, postquam ea quæ sensibus objecta exstant, observavit, foris quoque introspexit animi motus habitusque, et imitatoribus ad semotos arcanæ mentis affectus iter paravit, sine ulla rerum observationis remissione, sine ullo doctrinæ intervallo. Atque ita sensibus simul et intellectu singulares rerum animorumque notiones ministrantur, alteraque imitationis pars, quæ tempore, non dignitate antecedit, præsto est.

II

De altera imitationis parte. — Qua ratione communia proprie imitatio effingat.

Jam altera est, qua artifex, postquam singulas res aut animi habitus affectusque animadvertit, universis notionibus potitus, rursus ideam proprie exprimere vult. Hoc enim nuper diximus inter philosophos et artifices et poetas distare, quod illi veritate conquisita fruuntur, in eaque conquiescunt, per illam universorum notitiam cujusque rei naturam ac genus penitus ac pellucide perspicientes ; hi vero, postquam interiora et communia

(1) V. Butcher. *Op. cit.* p. 127.

affectavere, nunquam tamen pura nec sensuum, ut ita dicam, terrestri robigine purgata obtinent. Superest enim ut singulari rerum forma notiones rursus induantur, ut fiat illud quod Aristoteleæ doctrinæ summum esse diximus : « ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική » (1). Nihil enim pictoribus aut poetis omnino abstractum, nihil quod sensus prorsus effugiat, fingere licet, nihil libet. Hæc demum imitatio est plena atque integra, (2) quæ ex observatione ad intellegentiam ac rursus ex idea ad rem progreditur, cujusque veritas summa lex est, usu et ratione comprobata.

Quomodo vero veritatem hanc poeticam imitatio effinxerit, in eo plurimum operæ Aristoteles insumpsit. Hic enim labor, hoc opus est, si ideam materiæ impresseris, servata singularis rei specie, quæ sub sensus cadit. Sic poeta demum ποιητής est, quippe qui res denuo creet veritatemque, cognitis causis et universis notionibus, illustriorem faciat melioremque. Plura de hac imitationis parte in *Poetica* Aristoteles scripsit, quæ ad unumcumque poesis genus, alia quæ ad tragœdiam

(1) *Eth. Nic.* VI. 4. 1140 a 10. Cf. supra p. 28, n. 2.

(2) V. totum *Poeticæ* caput XXV, ubi qua ex parte *empirica* res communibus notionibus consentanea sit, perspicitur. Non satis claram et expressam imitationis definitionem puto, quæ apud Vahlen reperitur : « Die dichterische Umbildung und künstlerische Gestaltung eines gegebenen oder erfundenen Stoffes. » Quid sibi velint « dichterische » et « künstlerische », hæc demum disputatio est. Cf. Reinkens. *Aristoteles über Kunst, besonders über Tragödie* p. 13 sq.

tantummodo pertinent (1). Sunt vero certæ et universæ artificiosæ creationis leges (2), quibus pariter obnoxii sunt poetæ, artifices, pictores ac si quis denique communia proprie cœpit effingere.

Non quod versus scripseris, quippe imitatio, non versus, poetam faciat, nec si meliorem quam pro natura imaginem rei reddideris, nam pejorem reddere, si ita poetica veritas postulat, omnino licet, non ita poetæ nomen protinus auferes et meritam laudem obtinebis. Primum autem est, si opus effeceris ideæ et veritatis singularis particeps, et ex utraque mixtum, at unum tamen atque totum et consummatum ἕν, ὅλον, τέλειον, et quod sit animalis cujusdam instar (3). Non enim totum aliquid est, quia unum ; nec consummatum ; nec vice versa (4). Est diversarum partium certa et finita convenientia, qua inter se conjunguntur et cohærent, non modo mixtæ et copulatæ sed finis unius respectu et ratione in unum, totum, consummatumque corpus coercitæ. Velim autem scire quid sit, propter quod unitatem illam totam et consummatam complures senserint (5) idea

(1) Summa imitationis doctrina in capitibus VII, VIII, IX et XXV explanatur. Cf. Vahlen. *Op. cit.* Heft III. 1865. Juni p. 294.

(2) V. *loc. cit.* : « ἐπεὶ γάρ ἐστι μιμητὴς ὁ ποιητὴς ὥσπερ ἂν εἰ ζωγράφος ἤ τις ἄλλος εἰκονοποιός ». (*De poet.* 25. 1460 b. 8).

(3) *De poet.* 7. 1450 b. 35 sq. Cf. *Ibid.* 23. 1459 a. 20 sq. Cf. *De. Gen. Anim.* II. 4. 740 a. 15.

(4) *De poet.* cap. VII et VIII. Cf. *Polit.* Δ (H) 4. 1326 a. 34 sqq.

(5) V. Butcher. *Op. cit.* Poetic truth. p. 175.

Aristotelem inclusisse, exceptis dumtaxat iis quæ rerum et corporum sunt. Quasi non animalis duplex, ut sic dixerim, in una natura sit, neque hac duplici et in unum tamen redacta natura causa et finis et ratio una animantis vitæ arguantur. Immo vero mihi videtur Aristoteles cogitationi finem justum fecisse et rerum veritate notitiam temperavisse, ut ne alterum liceret altero vel carere vel prægravari. Quemadmodum enim nullum opus est idcirco unum (1), quia circa hominem unum, et omnia quæ Ulixi acciderunt ita imitari est, ut unitas nulla, quamvis unius res sit, servetur, sic, qui plura cogitando et majora finxit quam ut, veluti in animalium corporibus fieri solet (2), oculis et auribus et sensibus possint comprehendi, a veritate poetica dissidet perviam quamdam et in medio positam unitatem aspernatus. Quin etiam iste quantumvis summus artifex aut poeta, quamlibet præclara et eximia exemplaria mente sit intuitus, nequaquam tulit quod petiit, cogitationis impotens et immodestus, et animalium exemplorum oblitus, quomodo ex idea et corpore composita cohæreant, nedum vermiculatorum emblematum ritu coagmentata esse videantur. Quem non modus tantum operis sui justus sed et imitationis finis fefellit, et id præcipue per quod consummata imitatio ab Aris-

(1) *De poet.* 8. 1451 a. 17 sqq.
(2) *Ibid.* 7, 1451. a. 1. sq. Cf. Phædr. 264 C.

totele dicitur : nempe, ut supra diximus (1), in duas sententias τέλος illud accipere oportet, quorum altera alteri consentanea est, altera ad intellegibilem rerum causam, altera ad sensuum perceptionem spectat. Nihil inde poeticum esse apparet, quod non una percipitur, sensibus et menti spectantium audientiumque obvium.

Quamobrem Aristoteles *empirica* quadam ratione usus magnopere accuravit ut imitantibus mensuram carminis et tragœdiæ propriam præscriberet (2). Sint igitur ordo (τάξις) et magnitudo (μέγεθος) quæ pulchritudinem efficiunt, si ad communem pulchritudinis definitionem respexeris, dummodo etiam certi et usu et experientia et animalium exemplo et humana intellegendi facultate comprobati sint magnitudinis fines, quos qui aut ultra progreditur, aut citra consistit, errat. Quos ego certos dico, quippe oculis, auribus, memoriæ hominum idoneos, atque ita ab inani « caudæ equinæ » aut « acervi » cavillatione vacuos. Sane sint carminis aut picturæ et *idea* et intima illa vis e cogitatione ortæ, quæque totum opus alunt, perquam magni pretii æstimandæ. Jam hoc unum probatum esse velim, omni opera Aristotelem cavisse, ne « imitatione » tanquam inani et vacuo nomine uteretur, neque unitas illa, poeticæ veritati præfecta, occulta videretur et arcana ; neque

(1) V. supra p. 27.
(2) *De poet.* 7. 1450 b. 35 sq. Cf. *Polit.* Δ (H) 4. 1326 a. 35 sqq.

aliud quidquam antiquius habuisse, quam ut communes rerum notiones atque universæ hominis notitiæ, quæ quidem observanti et meditanti obviæ fuere, singulari tandem rerum veritate ac forma induerentur. Quamobrem creatrix in hac altera parte imitatio est, quæ unumquidvis mentis ope transfiguret, creatio vero imitatrix, quæ ad rerum speciem informandam regrediatur : ac tum demum fit imitatio universorum singularis.

Primum est opus esse unum ; proximum autem, credibile (πιθανόν) (1). Errant enim qui putant, Platonis doctrinam secuti, pulcherrimum id dumtaxat esse, quod *ideæ* maxime consentaneum est. Nihil tam pulchrum est, quo non pulchrius id sit, quod facile non mente tantummodo sed et sensibus pariter comprehenditur. Parum est materiæ ideam immiscere : superest ut communia singulis infundantur credibiliter. Mancum est opus atque hebes, cui fides non accessit. Quæ poeticæ veritatis condicio, etsi demissa et humilis, quam late pateat a Platonis disciplina remota, manifestum est ; ex qua etiam inferre licet nullum esse inter utramque imitationis partem divortium, servata modo *possibilium* lege. Possibilia autem dicimus, non ea solum quæ evenerunt (τὰ γενόμενα) verum ea etiam quæ possunt evenire (οἷα ἂν γένοιτο), cum fide digna tum ab assueta videndi, audiendi,

(1) *De poet.* 9. 1451 b. 16. sqq. ; Cf. 24. 1460 a. 28 ; — Cf. 25. 1461 b. 12.

cogitandi consuetudine non abhorrentia (1). Ut rerum similitudo est, sic eventorum : quæ quidem, præterquam quod cum altera congruit, non tragœdiæ peculiaris est, sed et poeticæ veritatis generaliter propria. Nec tam artium condicionem eam duco, quam sponsionem. Ita enim spondere debent poetæ nunquam fore ut, quidquid tentaverint, nimia mentis ambitione nimio plus deforment, et imagines imaginativa illa, quam diximus, vi extenuatæ, autumnalium Virginis filorum ritu, in auras evanescant. At enim « verisimile est multa fieri etiam contra similitudinem veri (2). » Quo quidem obiter dicto ne abutantur critici, velim ; et Dacier Agathonis hoc lepida quadam notula commentatum laudo (3) ; et Vahlen plane assentior, qui insulsas quasdam tragœdiarum officinas ab Aristotele sic illusas fuisse existimat, præsertim cum nullus alius locus sit, cur totius *Poeticæ* doctrina aut infirmari aut inverti posse videatur (4). Credibilis igitur sit imitatio, necesse est, ut opus fiat probabile.

Fit autem, (et quidem audientium animis non poetarum judicio probabile), si *imitationis unitati* accessit aliqua poetice verarum aut possibilium

(1) *De poet*. 9. 1451 b. 5 sq.

(2) *De poet*. 18. 1456 a. 24 sq. Cf. 25. 1461 b. 16 sq.

(3) Dacier. *La Poétique d'Aristote*. Ch. XIX. (26) p. 346 : « Je ne conseillerais pas aux poètes de hasarder beaucoup de choses extraordinaires et inouïes sur cette maxime d'Agathon. »

(4) Vahlen, *Op. cit*. Heft. I. 1866. Jänner. p. 148.

rerum virtus et lex, sine qua hæc altera imitandi pars et ars humana communia proprie effingendi frustra sunt : nempe eam dico, qua τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον finivit (1). Illud est tanquam *substantiale vinculum*, quo omnes operis partes coercitæ magnam et cohærentem, ut sic dixerim, vitæ copiam et suadendi vim manifestam comparant. Substantiale autem dixi, per quod rerum ordine et similitudine eventorum revincitur id quod mente tantum perceptum artificibus suppetit. Atque illa obiter lex est, quæ, quidquid poetæ præclare excogitavere, alienis animis et infra positis accommodat. Sic operis unitas simul intima est et conspicua ; sic non ea quæ evenerunt, sed ea quæ evenire possunt fingere licet et vera possibilibus et communia singulis temperare.

Quid vero sonet hoc κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον, antiquitus disputatum est. Plerique, inter quos novissimus Butcher (2), qui Aristotelis doctrinam absolutiorem sibi volunt et terrestri situ detersam, ad internam tantummodo operum structuram præceptum hoc referre solent ; negant iidem quidquam e cotidiano usu profici posse ad illud τὸ εἰκὸς

(1) *De poet.* 9. 1451 b. 1. et passim.

(2) Butcher. *Op. cit.* Poetic truth. p. 155-156. « The εἰκός of daily life, the empirically usual, is derived from an observed sequence of facts, and denotes what is normal and regular in its occurrence, the rule, not the exception. But the rule of experience cannot be the law that governs art... (?) » — Perlegere oportet paginam illam totam, ut quam docte et accurate Aristotelis *Poetica* obtruncata sit, plane perspicias.

explanandum ; majoresque nostros increpant, quod verisimilitudinem quamdam viliorem et ultra quam satis fuit sollertem necessitatem usurpavere (1). Quorum quidem controversiam immodicam esse reor. Nempe duæ sunt, et individuæ tamen, quas in imitandis iis quæ sunt universa, condiciones ipse Aristoteles præcepit. Primum τὸ ἀναγκαῖον, etsi alioquin vim eam naturæ cæcam, consilii expertem, ad obscurum aliquid tendentem et ideæ imperium aspernantem significat (2), parce detortum in *Poetica* mihi fuisse videtur (3). Interdum quidem, sicut supra edocui, in vulgarem sententiam accipiendum est ; interdum, et in hac præcipue formula, necessitatem quamdam imitandi indicat, ex illa quidem cæca et rebelli materiæ vi translatam, verumtamen ingenuis artibus aptam, qua denique idea materiæ, res notionibus possint, non obscure, sed clare et manifeste infundi. Nec equidem miror nullam esse tam cohærentem doctrinam, quæ, quanquam omnes humanæ scientiæ partes eadem ratione est complexa, una om-

(1) Butcher. *Ibid.* p. 155. *Ibid.* The dramatic unities p. 273 et n. 3. Cf. Teichmüller. *Op. cit.* II. Begriff der Nachahmung ; ubi, quanquam veræ Aristotelis doctrinæ fidelior, necessitatis vim nimio plus restrixit.

(2) *De gen. anim.* IV. 717. a.

(3) Continuus naturæ labor cum tragœdia comparatur. *Met.* XIII. 3. 1090 b. 19 : « Οὐκ ἔοικε δὲ ἡ φύσις ἐπεισοδιώδης οὖσα ἐκ τῶν φαινομένων ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία. » Cf. *De poet.* 9. 1451 b. 35 : « Λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς οὔτ' ἀνάγκη εἶναι. »

nino verborum vi omnia enucleet; et primam philosophanti necessitatem puto arta verborum necessitate cogi. Nempe diversarum disciplinarum accessu adauctus vocabulorum sensus, reapse idem, leviter inflectitur. Quare universa quotiescumque singulis inseruntur imitando, fit nescio quæ concors discordia, quæ, postquam bene mixta et κατὰ τὸ ἀναγκαῖον composita fuere, quiescit. Illa vero quies est et operis et auditorii lex, et utriusque par necessitas. Unde fit ut in hac, quam explanamus, formula τὸ ἀναγκαῖον vel ἀνάγκη duplici verborum notione, et ferme tamen eadem, plerumque dici soleat, sive ad illam notionumque rerumque compositionem penitus spectas, sive, quod proximum est, artificioso eodem et naturali imitationis vinculo spectatorum auditorumque revinctam intellegentiam intueris. Quod quidem nihil aliud est quam dialectica illa series, per quam e causis exitus contingunt, quamque non ad tragœdiam modo, verum ad poeticam artem totam jure suo pertinere Aristoteles voluit. « Multum enim interest, inquit, propterne an post hoc illud evenerit (1). » Quam igitur differentiam et per voces δι'ἄλληλα significatam fuisse constat. Illud

(1) *De poet.* 10. 1452 a. 21. Cf. 9. 1452 a. 6 : « δι'ἄλληλα » quod aperte hic causarum consequentiam significat ; atque item in priore loco citato : « διαφέρει γὰρ πολὺ τὸ γίγνεσθαι τάδε διὰ τάδε ἢ μετὰ τάδε. »

V. totam et integram formulam. *De poet.* 9. 1451. a. 36 : « Ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον. »

igitur τὸ ἀναγκαῖον non internæ tantummodo nec absolutæ convenientiæ, qualem quidam finxerunt sibi, necessitatem denuntiat, verum etiam experientia comprobatum et ad legitimum operis finem pertinens rerum ideæque convictum sic temperat, ne, stupente vulgi corona, fiat hoc Flacci :

Desinit in piscem mulier formosa superne (1).

Inde sequitur ut altera formulæ pars ἢ κατὰ τὸ εἰκὸς non modo quæ fieri possunt sed et quæ solent significet. Nec mihi videtur a plerisque tota vocum vis excussa fuisse. Quam enim germanici critici regulam (*Regel*) nomine vocant, (2) ea altèra tantum esse imitationis et hujus nostræ verisimilitudinis pars videtur, quæ ad notitias rerum et consuetudinem sine dubio referri potest, et in eligendis et conjungendis iis quæ quis imitetur, plurimum valet. Necessitas ergo est hæc deminuta et usu freta, quam sic finivit Aristoteles : « Si quid enim comperere (ἴσασιν) plerumque (ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ) ita evenire solere, aut non, seu res ita est seu non est, illa demum similitudo veri est » (3). Nam et « comperere » pro « usu cognitum habent » duci potest ; et aliud tamen verisimilitudini illi subesse

(1) *Horatii Ep. ad Pisones.* v. 4.

(2) Teichmüller. *Op. cit.* II. Begriff der Nachahmung. p. 164. Cf. Reinkens. *Op. cit.* Die poetische Wahrheit. p. 276.

(3) *Anal.* pr. II. 27. p. 70 a 4-6 : « Ὃ γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἴσασιν οὕτω γινόμενον ἢ μὴ γινόμενον ἢ ὂν ἢ μὴ ὄν, τοῦτ' ἐστίν εἰκός. »

reor, quo absoluta magis et dialectica τοῦ ἀναγκαίου vis vulgaris intellectus experimento emendetur. Postquam enim Aristoteles causæ et effectus rationalem seriem præcepit, alteram addidit, non certam sed probabilem, non veram, sed speciosam et *possibilem* tamen, rerum magis quam rationis evidentia subnixus. Ἀνάγκη est, ut sic dixerim, summa et perfecta unitatis ratio, cui vicarium τὸ εἰκὸς accessit : nam altera si requiritur, abest ; hoc autem si etiam desideratur, deest. Hoc enim primum videndum est, ne alia ex aliis temere, verum apta oriantur. (1) Quare Homerus in Odyssea plura omisit, quæ, etsi Ulixi acciderant, non invicem κατὰ τὸ ἀναγκαῖον ἢ κατὰ τὸ εἰκός consequebantur ; « Odysseam autem circa unam actionem conscripsit » (2). Jam addidit Aristoteles, si Vahlen fides est tribuenda ; « οἵαν ἂν λέγοιμεν » hoc est, circa unam actionem, sicuti vocem hanc « unam » accipimus : ita vero accipimus, ut unitas servetur, vel cum dialectica causarum vel cum probabili verisimilium convenientia. Quin etiam, si poetis contigerit ea imitari, quæ reipsa evenerunt, nullum imitationis vitium admiserunt, dummodo singula illa cum communibus confundantur κατὰ τὸ ἀναγκαῖον etc... Nihil enim obstat, quin inter ea quæ evenerunt plura

(1) V. Quod sit imitationis conveniens μέγεθος. *De poet.* 7. 1451 a 11 sqq. : « Ἐν ὅσῳ μεγέθει κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει. sqq. »

(2) *De poet.* 8. 1451 a 27. Vahlen scribit : « οἵαν ἂν λέγοιμεν ; Christus autem : « οἵαν λέγομεν. »

ejusmodi sint, ut necessitatis aut verisimilitudinis legi ultro pareant (1). Testes quoque illæ sunt varietate distinctæ fabulæ, quas Aristoteles dixit ἐπεισοδιώδεις, « in quibus varios casus sibi invicem succedere nec necesse est nec verisimile » (2). Nec necesse est ea quæ evenerunt ita olim successisse, sed ea esse quæ ita succedere possint aut videantur. Nihil enim per se τὸ εἰκὸς valet, quippe cui sua vis omnis ex hominum ratiocinatione et usitata quidem, sed vitiosa, conclusione suppetat. Atque idem παραλογισμῷ simile est, quod in Homero laudatur, (3) unde ludibrium artium nobis offunditur *persuasibile* (4). Forte enim decidit Mityos statua in ejus interfectorem, nulla necessitate inter utramque necem posita ; (5) at satis est illud non forte accidisse videri, verum κατ' εἰκός. Tenuius quidem verisimilitudinis vinculum et a philosophia remotum est ; sed vinculum tamen, et quod in comœdia artum satis (6) esse videatur. Immo etiam vere græcum illud τὸ εἰκός, siquidem græcum ingenium admodum subtile fortuita semper juverunt, modo callide compositis similia. Nonne historiam heroico carmine vinci asseruit Aristoteles, cujus unitatem mancam et mendacem esse æstimavit, et

(1) *De poet.* 9. 1451 a 30.

(2) *De poet.* 9. 1451 a 35 sq.

(3) *De poet.* 24. 1460 a 21 sqq.

(4) πιθανόν.

(5) *De poet.* 9. 1452 a. 9 « παρὰ τὴν δόξαν δι'ἄλληλα. »

(6) *De poet.* 9. 1451 b. 13. Epicum quoque carmen tragico astricte minus concluditur. V. infra p. 95, n° 4.

singulis rebus commemorandis idoneam, universarum autem notionum expertem, et cui omnino desit vel dimidiata illa necessitas, non plane hic nomine κατὰ τὸ εἰκὸς nuncupata, verumtamen verbis his significata : « Quanquam eodem tempore, inquit, Salamine navali prælio dimicatum est, atque Carthaginienses in Sicilia pugnaverunt, tamen nullo pacto finem eumdem pugna utraque affectabat (1). » In quo historiam minus perspexisse videtur Aristoteles, quam duobus illis mente et experientia requisitis unitatis condicionibus quam fuerit deditus ostendisse (2).

Restat ut τὸ θαυμαστὸν vel etiam τὸ ἀδύνατον, quæ secum voluptatem maximam afferunt et audientium studiis lenocinantur, ad necessitatem et verisimilitudinem possint accommodari. Homerus scilicet non semel laudatur, (3) quod Hectoris fugam narraverit, iis temporis et loci momentis adjunctis, quæ admodum sint absurda, nisi a summo illo poeta ficta. Quæ quidem admiramur attoniti, non increduli, immo artificioso et poetico mendacio capti. Etenim Homero Aristoteles maxime laudi

(1) *De poet.* 23. 1459. a. 25. sqq.

(2) V. *De poet.* 8. 1451. a. 31 necessitatis et verisimilitudinis summam : « ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲν μόριον τοῦ ὅλου ἐστίν. »

(3) *De poet.* 24. 1460. a. 16 sq. et 25. 1460. b. 27. V. Butcher. *Op. cit.* p. 163. n. 4. Quid inter utrumque locum discrepet, ostenditur : hic enim Hectoris fugam a tragœdia abhorrere, illic culpam utique inesse, vel in epico poemate, sed effectu purgatam patet.

vertit, quod poetas edocuerit falsa dicere probabiliter, et falsis iis admoverit fidem, quantum apud animos valeat vitiosa illa ac sollers tamen conclusio, quem Græci dicunt παραλογισμόν, expertus (1). Quam quidem nuper monstravimus cum similitudine veri posse congruere. Quæ si abest, attonita mens ultro suppeditat falsam ad conclusionem proclivis. Facit admiratio rationem. Est ubi et necessitatem quamdam suppleat: sicuti e « Balineorum » exemplo patet. Nam in citato illo Odysseæ loco e præterita re ad præsentem non similitudo solum sed effectus quoque transfertur (2). Nec aliter velim solutionem ipsam hanc e *Problematibus* decerptam solvi: « Oportet etiam quæ fieri non possunt, dummodo posse videantur, antehaberi quam quæ possunt, nec videntur posse. (3) » — Ibi illud « dummodo posse videantur », hoc est « πιθανὸν ἀδύνατον », nihil aliud sibi velle puto, quam probabilem, etsi omnino non veram, consequentium seriem, adjuvante τῷ παραλογισμῷ, servari. Nec per se quidquam unum πιθανόν, sed cum ceteris conjunctum, exstat, quamvis singula per se ἀδύνατα sint et cum ceteris conjuncta tum demum in probabilia possint converti. Nam sicut Œdipoda admodum fallere non potest, quis Laium

(1) *De poet.* 24. 1460. a. 25.

(2) *De poet.* 24. 1460. a. 27 sqq. *Odyss.* XIX. 164-260. V. Butcher. p. 161. n. 4.

(3) *De poet.* 25. 1461. b. 12. Cf. *Ibid.* 24. 1460. a. 26 sq. V. supra p. 50.

interfecerit, posteaquam Jocastam duxit et arcana semotarum dictionum audiit, at ignarus nihilominus in scænam depromi potest, salvo modo consequentium ordine (1); ita, quod secundum est, sive meliorem quam pro natura imitatus, sive tradita secutus es, licet hanc aut hanc imitationis partem, cui τὸ ἀδύνατον crimini vertatur, crimine purgare, salvo et integro verisimilium vinculo.

Nec exemplo Zeuxidis deterreor (2), (præsertim cum hic aliquid deficiat et in scripto quoque controversia versetur) quin, ut in pictura, sic in carminibus antiquissimum imitatoribus officium et firmissimum propugnaculum esse rear dialecticam illam et suasoriam mixtæ et sæpissime superiorum ac meliorum, quam pro rerum veritate, notionum accessu auctæ imitationis unitatem. Nec ferme ἀδύνατον quidquam esse nec ab imitatione abhorrere Aristotelem censuisse putem, nisi quod et ἄλογον est, et ab ratione dissidet, nec secundum illud τὸ ἀναγκαῖον ἢ τὸ εἰκὸς mente concipi potest, nec idcirco arte vel sollertissima immutari, nec denique fidem habere (3). Id demum inter omnia, quæ humana credulitas libenter accipit, sive vera, sive probabilia, nullo pacto referri nequit, et a necessitatis et verisimilitudinis

(1) *De poet.* 15. 1454. b. 6.
(2) *De poet.* 5. 1461. b. 13.
(3) *Rhet.* II. 23. 1400. a. 7 : « Ἢ γὰρ τὰ ὄντα ἢ τὰ εἰκότα ὑπολαμβάνουσιν. » V. Vahlen. *Op. cit.* Heft. III. 1867. Juli p. 357.

condicione pariter remotum, a veritate simul ac poetica veritate, quæ propria imitationis est, aversatur. Nam universa cum singulis miscere primum est; alterum humanæ menti obvia imitari (1).

Jam vera poesis ac poetica veritas apparent, finitis imitandi legibus. Jam nec versibus carmen contineri, nec, si suo nomine poeta interfuerit, poeticam imitationem fieri manifestum est. Fit enim, sub ea dumtaxat condicione, ut ad exemplar imitanti propositum similis imago aliqua non menti modo sed et sensibus probabilis referatur. Quam quidem ita effingi debere diximus, ut una, tota, integra ac, veluti animal quoddam, sibi cohærens, necessitate aut verisimilitudine revincta videatur, et universe singularis. Nec idcirco vilis nec deminuta, quia singularis, nec a philosophia remota, (quippe qua τὰ καθόλου efficta sint), nec tamen philosophiæ par, (quippe quæ a singulis rebus orta ad singularem formam revertatur), sed particeps. Inde φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον (nec gravius quidquam nec morale magis, sed, sicut, auctore Teichmüller, Butcher novissime verbi vim explanavit, quod superiorem dignitatis gradum inter alias intellegentiæ artes occupat) poesis historia esse dicta est (2). Hæc

(1) V. *De poet.* 25. 1461. b. 24. Quinque sunt reprehensiones tragœdiarum.

(2) *De poet.* 9. 1451 b. 5. Cf. Teichmüller. *Op. cit.* II, p. 178, et Butcher. *Op. cit.* Poetic truth. p. 178 sq. « The μᾶλλον is here a limiting and saving expression. »

enim singula enarrat; illa autem universæ notiones, et quæ τὰ καθόλου diximus, *magis* tractantur; non tamen ultra quam illud *magis* (μᾶλλον), quod philosophiæ universarum notionum capacissimæ nec singularibus rerum formis restituendis operatæ suum vere locum, qui quidem primus est, assignat. Ut denique ab historia discrepat poesis, quia non singulorum modo sed et universorum imitatio est, sic a philosophia, quod universa quidem imitatione obtinet sed singulis mixta, et sensibus, non menti tantummodo obnoxia. Quamobrem unitas illa, quam cum edissereret Aristoteles historiæ poesin contulit, præcipua poeticæ veritatis lex est, aheneo necessitatis et verisimilitudinis muro firmata.

Itaque rem meliorem plerumque (nam et pejorem et eamdem plane imitari licet) imitatione *idea* efficit, naturam primum secuta (1), quæ meliora sponte appetit, nunquam autem persecuta temere aut consuetudine. Nam arte aliquid fieri posterius est, quam casu aut consuetudine (2). Et

(1) V. Butcher *Op. cit.* p. 141 n. 2.

(2) V. A. Croiset. *Histoire de la littérature grecque* T. IV, p. 738 n. 1... « Ἀπὸ τύχης, ἀπὸ συνηθείας, ἀπὸ τέχνης, ce sont les trois étapes de tout développement scientifique et artistique : Cf. *De poet.* 1. 1447, a 20, et souvent ailleurs. » Atque ita illud ἀπὸ τέχνης e necessitate aut verisimilitudine constat. Cf. *De poet.* 14, 1454 a. 10, quomodo ἀπὸ τύχης priores tragici auctores invenerint quod arte compositum postea et ἀπὸ τέχνης posteriores scripserunt. Cf. Butcher. *Op. cit.* p. 171, n. 1. 2. 3. 4.

e proposito certe consilio, (τὸ ἕνεκα τοῦ), non e mentis temeritate pendet, utrum ad melius an pejus intenta sit imitatio. Certus denique finis est, atque idem maximi momenti habendus (1), (τέλος), non ex eximia quadam et in animo insita pulchritudinis imagine arcessitus, sed usu et experiendo comprobatus; quem non in cogitantis imitatoris arbitrio, sed in audientium dicione esse Aristoteles voluit; quique diversorum imitandi generum proprius propriam secum voluptatem affert, adeo non, sicut a Platone fuit, contemptam, ut ea peculiare cujusque imitationis officium et munus distinguantur, et secernatur poesis a politica (2), in suum quæque ordinem locumque restituta. Illa est διαγωγή (3), ad quam e rebus singulis profecta omni opere tendit imitatio; quæ quidem apud philosophos purior est, quia apud artifices magis singularis, aut potius ad singularem formam voluptatemque tandem aliquando revocata. Illa finitur, illa concluditur, veluti astrictiore quadam et rerum et ideæ et experientiæ unitate coercita, Aristotelea hæc, qualem dico, μίμησις.

(1) *De poet.* 6. 1450, a. 24.
(2) V. supra p. 27, n. 2.
(3) V. Butcher. *Op. cit.* The end of fine art. p. 185, sqq. V. præsertim p. 185. n. 1. Cf. Teichmüller. *Op. cit.* II. Begriff der Nachahmung p. 204.

CAPUT III

DE TRAGICA IMITATIONE

I

Quatenus in informanda tragœdia scænicæ artis usu et experientia Aristoteles subnixus sit.

Novissime edocuit Alfréd Croiset (1) lyrici quidem carminis doctrinam certam in *Poetica* requiri; quam utrum scripserit Aristoteles, an non, incertum. Quippe cui non solum diversis imitandi artibus (si ad poesin tantummodo spectes) tragica ars antecellere sed et omnium omnem vim in se habere visa sit (2), et ceteris tanquam vectigalibus stipendiariisque uti. Quam igitur exemplo verti æquum est, ut, quid ipse senserit philosophus, bene perspiciamus nosque penitus in causam de-

(1) V. A. Croiset. *Op. cit.* T. IV, p. 736. n. 2. 737.
(2) *De poet.* 4. 1449. a. 1-6.

mittamus tamdiu in contrarias partes jactatam tractatamque.

Hic quoque duplicem imitandi viam duplicesque verborum sententiarumque sensus reperimus et communia e propriis singulisque rebus orta rursus proprie expressa et ad formas singulares reducta videmus. Constat enim non ipsius poetæ, sed rerum et hominum imitationem tragicam esse, quæ oculos, aures mentemque audientium spectantiumque occupet. Quæ contra dici possunt aut solent, mox diluam. Primum hoc dicimus non ante ad *Poeticam* scribendam Aristotelem incubuisse, quam διδασκαλίας et νίκας διονυσιακὰς recensuit (1); atque eum tamen si minus perfectam et absolutam tragœdiam, sicuti Teichmüller e frequentissimo nonnullarum vocum (καλά, κάλλιστα, μάλιστα) usu æstimavit (2), at certe, si potius Vahlen sequi licet (3), singulas et varias et absolutas easdem (κατ' αὐτάς) tragœdiæ partes philosophando fuisse prosecutum. Quid repetam eum ὄψιν quidem et αἴσθησιν (4) et quod dixit τὸ τερατῶδες, id est si quid

(1) V. M. Croiset. *Op. cit.* T. III, p. 97. n. 4.

(2) V. Teichmüller. *Op. cit.* I, p. 67.

(3) V. Vahlen. *Op. cit.* Heft I, 1866. Jänner. p. 116-117.

(4) Cujus sensus nimis conturbavit Teichmüller. *Op. cit.* I, p. 94. Recte « vestimenta » intellexisse Vahlen videtur. (Vahlen. *Op. cit.* Heft. I, 1866. Jänner. p. 125.) Per τὸ τερατῶδες infernarum machinarum usum putat significari Vahlen: « Unterwelt » et « Hadestragödien. » (Vahlen. *Op. cit.* Heft. 1. 1866. Jänner p. 133-134. (Cf. *De poet.* 15. 1454, b. 16 et 14. 1453. b. 9.)

ex infernarum machinarum aut vestimentorum momento magis contigit quam poesis, posthabuisse, non tamen ut ea contemneret, (etsi ita critici complures uno aut altero obiter dicto freti putaverunt) (1) per quæ scænicæ artes auditorii sensus prius quam animos occupant moventque;

(1) Hunc *Rhetoricæ* locum majoris pretii duci velim : « Ἐπεὶ δ' ἐγγὺς φαινόμενα τὰ πάθη ἐλεεινά ἐστιν, τὰ δὲ μυριοστὸν ἔτος γενόμενα ἢ ἐσόμενα οὔτε ἐλπίζοντες οὔτε μεμνημένοι ἢ ὅλως οὐκ ἐλεοῦσιν ἢ οὐχ ὁμοίως, ἀνάγκη τοὺς συναπεργαζομένους σχήμασι καὶ φωναῖς καὶ ἐσθῆσι καὶ ὅλως ἐν ὑποκρίσει ἐλεεινοτέρους εἶναι· ἐγγὺς γὰρ ποιοῦσι φαίνεσθαι τὸ κακὸν πρὸ ὀμμάτων ποιοῦντες, ἢ ὡς μέλλον ἢ ὡς γεγονός... » (*Rhet.* II, 8. 1386, a. 30. sqq.) Qua de re, sicut solet, Aristotelea opinio in utramque partem mihi videtur accipienda, sive ad usum et rem ipsam te refers sive ad ipsam tragœdiæ notitiam et rebus et notionibus mixtam spectas. Inde nonnulli *Poeticæ* loci, quibus critici abusi fuerunt. Nempe (*De poet.* 14. 1453, b. 4. sqq.) « τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γινόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων » jubens Aristoteles nihil aliud quam circulatoriam quamdam et histrionalem tragœdiæ fabricam, non imitationem prohibuit. Et ibidem « ἄνευ τοῦ ὁρᾶν » eodem prorsus valet. Nam quæ spectaculo movent, nec artis sunt nec poeticæ (*ibid.* 6. 1450. b. 17. sqq.); movent tamen, et quidem ultra quam verum poetam decet ita movere. Atque ita prius est ac melius, si ipsam naturam tragœdiæ et artem intueris, metum et commiserationem (*ibid.* 14. 1453. b. 1. sqq.) ex ipsa actionum structura, non e spectaculo nasci : etenim est ubi et viliora affectuum incitamenta nimio plus adhibeantur, (sunt quæ e Shakespeare demi libenter feras aspera et ferocia) ; et qui e spectaculo aliquando oritur metus χορηγίαν magis quam artem desiderat. Ita « ψυχαγωγικὸν μέν » dicitur « ἡ ὄψις » (*ibid.* 6. 1450, b. 17.) « ἀτεχνότατον δὲ » et ibidem : « ὡς (Vahlen et Weil sequor, nec ἴσως lego) τῆς τραγῳδίας δύναμις καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἔστιν, sqq. » Vim igitur dicit, et quidem intimam absolutæ tragœdiæ virtutem. Si vero rem ipsam spec-

at tragicam contra historia imitationem graviorem eum duxisse et philosophiæ similiorem, utpote communium notionum magis participem et in unum strictius convenientem? Quid non oculis

tas, nec personarum agentium nec spectaculi nec musicæ nec ludorum ipsorum (nihil enim contra nos facit *De poet.* 7. 1451, a 5 sqq. ubi « τοῦ μήκους ὅρος (ὁ) μὲν πρὸς τοὺς ἀγῶνας καὶ τὴν αἴσθησιν οὐ τῆς τέχνης » esse dicitur. Etenim Aristoteles ipse sententiam explanat : « εἰ γὰρ ἔδει ἑκατὸν τραγῳδίας ἀγωνίζεσθαι, sqq. ») accessus ullo modo supervacaneus est, aut contemnendus. Primus ante omnes, ut jam diximus, ipse auctor spectaculo adest, et spectatorum antistes est, cum tragœdiam scribit. Ergo spectaculum initium est, (nihil aliud evicisse velim) si non finis. Nam tragicum scriptorem necesse est (*De poet.* 17. 1455 a 21. sqq.) « συναπεργάζεσθαι ὅτι μάλιστα πρὸ ὀμμάτων τιθέμενον » et (*ibid.* 29) « ὅσα δὲ δυνατὸν καὶ τοῖς σχήμασιν συναπεργαζόμενον. » Nec Teichmüller assentiri possum, qui locum implicuit et impediit, nedum explicaret (*Op. cit.* I. p. 104); verum Vahlen libentissime sequor, qui et *Rhetoricæ* citatam supra sententiam (II, 8. 1386 a. 30. sqq.) et hanc recordatus, optime finivisse mihi videtur (*Op. cit.* Heft. I, 1866. Jänner. 104-105), quatenus spectaculo uti imitator debeat et justum inde comparare auxilium initiumque. « Ein Theil, inquit, seiner Wirkung kann daher der tragische Dichter kühn auf die Bühnenaufführung stellen. Auch die in ihrer Anlage gelungenste Tragödie wird durch die Bühnendarstellung in ihrer Wirkung gewinnen, wie umgekehrt die auf die eindringlichste Wirkung angelegte durch mangelhafte scenische Ausführung leidet. » Cf. *De poet.* 26. 1462 a 17, ubi epico carmine tragœdia præstantior esse dicitur, quod habet : « καὶ ἔτι οὐ μικρὸν μέρος τὴν μουσικὴν καὶ τὴν ὄψιν, δι' ἧς αἱ ἡδοναὶ συνίστανται ἐναργέστατα. » Cf. alium denique *Poeticæ* locum, ubi expresse sententiam suam de ludis scænicis Aristoteles aperuit et nonnullorum tragicorum errorem notavit. *De poet.* 15. 1454 b. 15. sqq. ! « Ταῦτα δὴ (δεῖ) διατηρεῖν καὶ πρὸς τούτοις τὰ παρὰ τὰς ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθούσας αἰσθήσεις τῇ ποιητικῇ· καὶ γὰρ κατ' αὐτὰς ἔστιν ἁμαρτάνειν πολλάκις. » Cf. Vahlen. *Op. cit.* Heft I, 1866. Jän-

minus quam mente concipiendam componendamque auctori esse fabulam eum censuisse, quid crebros ad usum experientiamque recursus ac non semel usurpatum illud « σημεῖον δὲ καὶ τὸ γιγνόμενον (1) » ; ac « τὰ καθόλου » nihilominus et τὸ βέλτιον et οἵους δεῖ εἶναι, et si qua ejusmodi vocabula ad ideam quamdam superiorem et universa rerum hominumque exemplaria referri solent, auctoritate magna et gravissimo pondere valere? Quid memorem alia (quorum e numero μῦθος, πάθος, πρᾶξις sunt) in duas sententias plerumque eum accepisse, quarum altera ad universa pertinet, altera singularis est, et illam denique tragœdiæ definitionem, de qua tamdiu disputatio fuit, non minus e scænicorum ludorum quam ex ipsa tragici car-

ner p. 125. De ludis scænicis et personatis histrionibus agitur. Quod quidem extra fabulæ compositionem et necessitatis legem est, non ideo, ut fit, neglegendum. Nec adeo ab Aristotele remotus (si recentiora comparare licet) de scænica arte scripsit Alexandre Dumas minor (*Préface du Père Prodigue*) : « Une œuvre dramatique doit toujours être écrite comme si elle ne devait être que lue. La représentation n'est qu'une lecture par plusieurs personnes pour ceux qui ne veulent pas ou ne savent pas lire. C'est par ceux qui vont au théâtre que l'œuvre réussit ; c'est par ceux qui n'y vont pas qu'elle s'affirme. » Cf. *De poet.* 26. 1462. a : « διὰ γὰρ τοῦ ἀναγιγνώσκειν φανερὰ ὁποία τίς ἐστιν. » Nihil amplius sibi voluit Aristoteles concedi. Lege quoque Beaumarchais (*Préface du Mariage de Figaro*) : « Lorsque mon sujet me saisit, j'évoque tous mes personnages et les mets en situation... sqq. »

(1) *De poet.* 16. 1455. a. 26. Cf. 13. 1453, a. 17. Cf. 13. 1453. a 26 et *passim*.

minis notitia quæsitam (1): incerto dumtaxat, utrum diligentiore rerum cura an avidiore ideæ studio?

Etenim Aristoteles, etsi fabulæ, quæ non docta fuerit, verum tantummodo recitata vel lecta, vim suam inesse, qua legentis audientisque animus moveatur, asseveravit (2), et tragicam artem a circulatorio quodam et dedecoro et histrionali magis quam tragico artificio sejunxit (3), perspexit tamen nihil de hac imitatione clarum, nihil æquum, nihil aptum excogitari et scribi posse, nisi quod e peculiari ejusdem condicione eruatur. Quod utinam critici complures tam bene intellexissent, duplicem esse æstimandæ tragœdiæ viam, atque unam tamen, si modo pulpitum et ea tragicæ imitationis aut tragicorum ludorum propria respexeris, quæ ψυχαγγώικόν τι habent, modo superiores simul et absolutæ perfectæque arti propiores et ἄνευ τοῦ ὁρᾶν per se valentes virtutes animadverteris (4)! Quod utinam, Aristotelem magis quam suam voluntatem secuti, neutrum vidissent esse despiciendum, immo alterum alteri necessarium, et quod arte minus, tempore et imitandi et commovendi facultate prius esse comperissent! Atqui ego causam vix inire possum, quare quam primum doctrinam experientiæ adminiculo fulserit Aristo-

(1) *De poet.* 6. 1449. b. 24.
(2) V. supra. p. 59. n. 1. et *De poet.* 14. 1453. b. 4. sqq.
(3) *De poet.* 14. 1453. b. 8.
(4) V. supra p. 59. N. 1.

teles, adeo critici commutaverint, ex qua, tanquam ex æterno sacrario, universas demum et inconcussas tragœdiæ ipsius (κατ' αὐτήν) leges exprome-rent, et cursim et imminuto commentarii cujusdam stylo scripta tanquam divina et (ut fit) obscura oracula urbi et orbi profiterentur. Parcior autem fuit Aristoteles, rerum prius curiosus, ut deinde universorum imitationem affectaret. Non igitur perfectam tragœdiam informavit, verum usu, ut solet, varias tragicæ imitationis partes, quam vim habeant et quo valeant, collegit et comprobavit. Tragœdiæ μέγεθος, hoc est mensuram, finivit, et illud quidem tam diligenter quam interiorem illam et communem humanæ mentis πρᾶξιν investigavit. Immo vero etiam, postquam quo tenderet tragicum imitandi genus ex illa, quam recensuerat, græcarum tragœdiarum segete et excussis quas διδασκαλίας et διονυσιακὰς νίκας diximus, dispexit, ultra quam græcæ illæ tragœdiæ processerant, usu et experientia et studiis suis fretus, in *Poetica* sua progressus est. Hic et principium Aristoteleæ doctrinæ est et finis. Inde propria illa tragicæ imitationis definitione declarata vis est, ut heroico carmini ceteroquin similis tragœdia, hoc tamen discrepet, quod agentium hominum imitatio sit, non per narrationem effecta (1). Itaque re ac vir-

(1) Definitionem tragœdiæ vide. *De poet.* 6. 1449 b. 24. Cf. Vahlen. *Op. cit.* Heft. III, 1865. Juni, p. 284. « Als Grundlage für diese sucht Aristoteles von einem neuen Ausgangspunct

tute certa, cum sensibus tum animo percepta imitatio distinguitur, pariter ab antiqua majorum *lamentatione* et a futura Senecæ *recitatione* remota.

Itaque, ut mea fert opinio, recte existimavit Vahlen, cum quæsivisset Aristoteles novum aliquid unde totum hoc imitandi genus complexus prospiceret, non ex ipsa tragœdiæ definitione, quæ universæ disciplinæ summa est, verum diversas tragici carminis partes e scænicis ludis ratiocinando confecisse, quos mente intuens priorem fabulæ (μῦθος) locum assignavit. Eam autem fabulam primum dico, quæ sive ab Agathone quodam excogitata, sive a majoribus tradita, tanquam materia est, qua imitatio tota innutritur; deinde eamdem, agentium actorumque accessu auctam et cohærentem, vere πραγμάτων σύστασιν vel σύνθεσιν esse. Quarum altera, plerumque ab Homericis carminibus accepta, quam rerum veritati proxima fuerit, quo referam? Fabulam igitur totam, ex illa fabula in breve contracta ortam et facinorum contingentium ordine constructam, primariam esse Aristoteles censuit (1). Quod quidem ægre tulerunt ii, qui apud animum suum

aus die Theile der Tragödie zu gewinnen, um an ihrer Abfolge die Gesetze der tragischen Dichtung darzulegen. Die Theile aber werden nicht aus der Definition abgeleitet, sondern *zunächst durch aüsserliche Betrachtung der tragischen Aufführung gewonnen* und sodann nach ihrem Werthe für die Tragödie geordnet. »

(1) *De poet.* 6. 1450. b. 2. Cf. 6. 1450. a. 24. Cf. 7. 1450. b. 22.

Aristotelem quemdam fingere solent rerum contemptorem et ideas usquequaque foventem, et omni verborum cavillatione obscuraverunt, nimia scientiæ subtilitate impediti (1). Fabula quidem melius quam spectaculo (ὄψις) metus et commiseratio suscitantur (2); nam fabula tragœdiæ est anima (3), nec tamen quidquam aliud videtur esse (si veram vim vocabuli usurpare licet) quam rerum et facinorum corpus quoddam in unum redactum (4).

Anima autem est animalium et principium et causa (5). Supra vero diximus poeticam imitationem ad animalium exemplar excogitatam ab Aristotele fuisse, quorum corpus unum et cohærens συνιστάναι dictitavit (6). Fabula ergo non modo recte pars tragœdiæ prima esse declaratur, verum etiam, quod ad disputationem hanc magis pertinet, cum rectissima et hujus imitationis usu firmata intellegentia definitur. Nihil enim ejus generis tam perfectum est opus, quo non perfectius illud æstimari debeat, quod scænicis ludis non solum non caruerit, sed et iisdem aptius esse videatur. Immo vero, etiam apud Græcos, cum fabula aliqua bene mixta

(1) V. inprimis Butcher. *Op. cit.* The dramatic unities p. 262. et Plot and Character in tragedy p. 320.

(2) *De poet.* 14. 1453. b. 2.

(3) *De poet.* 6. 1450. b. 2.

(4) V. Butcher. *Op. cit.* p. 320. n. 1 : quid sonet συνιστάναι.

(5) *De Anim.* II. 4. 415 b. 7-21.

(6). V. supra p. 40 et 41.

et composita vel etiam lectoris animum vehementius occupat, tum nulla est tam *stylo* egregia, sententiis illustris, moribus insignis, quæ scænæ impune abhorreat.

Itaque fabula est quæ tragœdiam alit animatque : quod re prius est. Fabula oculi, aures, sensus, mens extemplo commoventur. Quamvis obvia fuerit et simplex prima ab origine Græcorum tragœdia, tragœdia tamen fuit, atque hoc uno epici et lyrici carminis dissimilis, quod agentes in scænam detulit(1). Nec equidem credo « Œdipoda tyrannum » cum nostratibus horrendis tricis a d'Ennery quodam innexis non sine festivitate aliqua posse conferri ; nec me admodum fallit Æschyli tragœdias multo minus implexas fuisse, quam Cornelii nostri. Attamen doctissimos viros, H. Weil et M. Croiset(2), auctores ultro sequor, qui a germano critico Wilamowitz dissenserunt, græcæ tragœdiæ proprium hoc quod δρᾶμα dici solet inhærere professi. Nec idcirco M. Croiset usque assentior, qui Aristotelem pro certa tragicæ imitationis lege innatam quamdam græco ingenio implicandarum rerum tenuitatem et curam duxisse arbitratur. Immo persuasum hoc e lectionibus suis et e διδασκαλιῶν recensione philosophus, ut opinor, habuit, quod nobis nunc manifestum e longinquo apparet : scilicet nihil aliud tragicos scriptores

(1) *De poet.* 6. 1449. b. 24.

(2) V. H. Weil. *Etudes sur le drame antique*, p. 2. sqq. Cf. M. Croiset. *Op. cit.* p. 106.

quam paulatim tragœdiarum peculiare munus adauxisse, et fabulam, hoc est πραγμάτων σύστασιν, majoris pretii in dies fecisse, nec ita iis contigisse, quia græci ingenii naturæ tantummodo, sed etiam vel maxime quod tragicæ imitationis generi et vi morem gesserunt. Quomodo, et quatenus genus illud increverit, quid novi secum Æschylus, Sophocles et Euripides præsertim attulerint, accuratissime animadvertit Aristoteles, an tota tragœdiæ virtus, sive ad ipsam imitationis tragicæ notionem, sive ad theatrum spectas, admodum adhuc maturuerit, incertus (1). Unde fit ut, experientia fretus et ratiocinatione certa firmatus in sexto *Poeticæ* capite μῦθον et quam πραγμάτων σύστασιν appellat maximi demum momenti esse et fore asseruerit, et inde causam et rationem et finem totius operis trahi (2). Etenim, postquam rebus ipsis et ipsi imitationis hujus naturæ et scænicæ condicioni studium dedit, ultra mente processit, quam gentiles ætatis suæ scriptores profecerant (3). Nec fabulæ compositionem tantum, sed et quam dicere solemus *actionem* ante omnia habuit, ut et personarum mores parvi faceret, nisi proprio et continuo fabulæ impetu abreptos. Nec quemquam alium puto, non dico criticum, verum tragœdiarum scriptorem tragicæ imitationis propriam naturam

(1) *De poet.* 4. 1449. a. 8. « Ἄλλος λόγος » res alia est : a Teichmüller igitur dissideo. (*Op. cit.* I. p. 32.)

(2) *De poet.* 6. 1450. a. 16-25. Cf. 9. 1451. b. 27.

(3) V. A. Croiset. *Op. cit.* IV. p. 738, 739.

et vim melius perspexisse. Sane lamentata fuerit græca tragœdia, dummodo, hercule, lamentata egerit, et agendi viam posteris ostenderit. Prima enim ante omnia actio est, qua stat fabula, quaque omne quodvis scænicum viget.

Restat ut, quo valeat hæc rerum et experientiæ cura, quam alteram *Poeticæ* disciplinam et re et tempore priorem monstravi, et qua ratione et quam caute ac prudenter ad intimam et communem hominum repræsentandam notitiam Aristoteles transierit et tragicæ imitationis scientiam provideril, expediamus. Fabulam igitur illam, — qua subnixa tragœdia stat, cadit autem, si caret, — sive traditam acceperis sive ex historiis acciveris sive mente ipse informaveris, sic eligere, constituere, traducere in scænam oportet, non veluti pannos pannis assuere sarcinatores solent, sed ut una admodum et plena atque integra κατὰ τὸ ἀναγκαῖον vel κατὰ τὸ εἰκὸς fabula imitatione immutata appareat. Quam quidem supremam esse legem diximus (1), si quis notiones communes proprie imitando expresserit ; nec quidquam inde tragicum genus a ceteris differre, nisi quod, singulis actionibus (e quibus actio tota constat) inter se causarum consequentiumque aptiore vinculo constrictis, universæ artius conclusa unitate coercentur. Et quia singularium personarum singularis fabula est, succedunt illa imitationis incrementa (2), quæ

(1) V. supra p. 45. sqq.
(2) *De poet.* 17. 1455. b. 2. Cf. Vahlen. *Op. cit.* Heft I. 1866,

ἐπεισόδια nuncupare Aristoteles solet; et propterea quod communium quoque et universarum rerum notionumque imitatio effingitur, omnia illa oportet necessarie aut verisimiliter fabulæ umbilico adhærescant. Quare vilissimæ sunt illæ tragœdiæ æstimandæ, quæ ἐπεισοδιώδεις vocantur, quarumque τὰ ἐπεισόδια temere aliis alia succedunt, nedum alia ex aliis apta oriantur (1). Quam quidem culpam jam tum vel sollertes fabularum scriptores non effugisse patet, quia seu histrionali arrogantiæ aut invidiæ obsecuti, seu vulgi studiis faventes, cui diversissima quæque sunt gratissima, actoris unius aut alterius partes in longius produxerunt (2). Nam in omni imitationis genere, et in hoc præcipue, non corpori operis totius accedit, si qua pars furtim ac sine ullo detrimento detrahi potest vel adjici (3); et propria communibus, singula universis perperam miscentur, si temere.

Prævalet enim ordo, et ratio quædam, unde rerum comprehensio suppetat, nec tam imitatoris ingenio subjecta, quam auditorii. Parum est singula et communia necessitate aut verisimilitudine revincta esse. Μέγεθος habeant necesse est,

Jänner, p. 130. Vahlen scribit : « περιτείνειν », Christ autem : « παρατείνειν. » Recte quidem Vahlen, ut opinor : nihil enim hic reprehendit Aristoteles.

(1) *De poet.* 9. 1451. b. 34. sqq.

(2) *De poet.* 9. 1451. b. 38 et 24. 1459. b. 30.

(3) *De poet.* 8. 1451. a. 33.

quod et cum fabula ipsa et cum spectantium audientiumque intellegentia congruat. Est modus in rebus et in universis hominum notitiis tragice imitandis, et ille quidem e fabulæ necessitate et ex auditorii mente desumptus, non ex absoluta quadam tragœdiæ idea arcessitus. Hæc demum longitudo est, ut ita dicam, pulchra, quæ ratione simul atque usu comprobata continuam causarum consequentiumque seriem illustrat concluditque, ut εὐσύνοπτος et εὐμνημόνευτος videatur (1).

Quam autem Aristotelis illius, quem multi sibi effingunt, *Poeticæ* auctor sit dissimilis, nusquam, fateor, perspicitur melius quam in hoc disputationis discrimine. Quomodo actionis agentiumque imitatio fiat, adhuc quæsitum est; quomodo deinde tragica, jam investigandum. Atque ego nemini dubium esse puto, quin meditationis et philosophiæ amantissimus Aristoteles, si sua illi inclinatio auspicium fecisset, simplicem (2) fabulam, qualem plerumque apud Æschylum reperimus, non modo iis quæ spectaculi sunt propria et τῆς χορηγίας vectigalia sed et scænicis artificiis vacuam et immunem prætulisset. Sunt certi oppugnandorum animorum (si verba hæc jungere

(1) *De poet.* 7. 1451. a. 4 et *ibid.* 12.

(2) Simplicem eam dico quæ agnitione, mutatione fortunæ aut funesta actione caret. Alias simplex tragœdia dicitur uno exitu, non duplici conclusa. *De poet.* 13. 1453. a. 30. *Œdipoda tyrannum* præferre videtur Aristoteles, utpote simplicem simul et jam arte tragica præcellentem.

licet) apparatus, imitationi tragicæ, si ad absolutam artis imaginem spectes, non admodum necessarii, sin autem ad theatrum et rem scænicam te referas, perquam utiles. Nam in omni tragœdia nodus et exitus partes sunt imitationis necessariæ, et unde imitatio constat ; plurimum autem valent ad suscitandos metus commiserationisque affectus et subita rerum mutatio (περιπέτεια) et agnitio (ἀναγνώρισις) et funesta illa actio (πάθος), quibus jam non simplex, sed implexa tragœdia utique efficitur (1). Interdum una aut altera caret, interdum hac absente, illæ non deficiunt ; abest autem utique imitationis tragicæ simplicitas (2). Illam tamen « pulcherrimam » et maxime ad commovendos animos idoneam imitationem Aristoteles docet, quæ artificia ista maxime callet. Atque hic quoque philosophum reperimus, qui διδασκαλίας prius excussit, quam de tragœdia ipsa philosophatus scripsit. Hac itur ad tragœdiæ finem ; nec artificium ullum præ idea sordet, quod ad exprimendam tragice ideam prodest ; atque ita tria sunt, quibus imitatio conditur, veluti tragicorum affectuum pulmenta. Nam et « quibus maxime animi commoventur, partes fabulæ sunt : subitæ videlicet rerum mutationes et agnitiones (3), » et actionum singularum inter

(1) *De poet.* 13. 1452. b. 31. sqq. De agnitione V. Cap. XI et de funesta actione, cap. XIV.

(2) *De poet.* 10. 1452. a. 14. sqq.

(3) *De poet.* 6. 1450. a. 36.

se connexarum ultima est et maxime tragica quæ πάθος dicitur, unde oritur « voluptas ea quam e metu et commiseratione imitando poeta exsuscitat (1). »

Itaque ab intima quadam et recondita tragœdia adhuc remoti sumus, ut prope omnis in iis quæ accidunt posita sit, et quomodo accidant majoris momenti esse videatur, quam quid sibi velint personæ in scænam imitatione traductæ. Nullam hic recitationum suarum defensionem Seneca repperisset. Nec sat Aristoteli fuit plurimam tragœdiæ vim in actione posuisse, et pluris æstimasse quomodo res aliæ ex aliis nascantur, quam quo carminis lepore mores et dictiones niteant (2), (quia videlicet, ut jam diximus, actionem agentesque viros imitatur poeta tragicus, et imitatoris ita famam aufert,) verum etiam in quot actionis et personarum vices περιπέτεια, ἀναγνώρισις et πάθος se vertere possint, diligentissimo et accuratissimo auditorii respectu indagavit. Ubi si quid reprehendit, non ad inane quoddam tragicæ imitationis exemplar, sed ad ipsam fabulæ comprehensionem, non ad officiorum morumque scientiam, sed ad auditoris lectorisve intellegentiam spectavit; nec quidquam ferme vitio vertit, nisi quod ab actione dissidens, et illa funesta actione carens (πάθος), (qua paulatim uti et forte auctoribus con-

(1) *De poet.* 14. 1453. b. 11.
(2) *De poet.* 6. 1450. a. 30.

tigit) theatrum lædit (μιαρὸν ἔχει), nedum commoveat (1). Equidem minime miror, si quid imperfectum aut parum investigatum hujus doctrinæ gentili et peculiari experientia firmatæ tradidit; immo vero quod præcepta illa omnibus numeris absoluta et omnibus omnium ætatum imitatoribus exsequenda tamdiu critici æstimaverunt, multo mirabilius et festivius puto. Quin etiam, quia tragicæ imitationis naturam rei ipsius condicione et audientium animorum attentione finivit, Aristoteles primus edocuit, eadem disserendi ratione usus, duas tragœdias non ideo similes esse, quia argumentum idem, sed quia nodum et exitum eumdem habent (2). Nam et nodus est, ex quo fortunæ mutatio succedit, et, postquam mutata fortuna est, soluto nodo, hoc efficitur, ut finem aliquando fabula capessat, quem, ut in ceteris rebus, sic in tragica imitatione maximum ante omnia esse et plurimum valere Aristoteles sibi totique suæ philosophiæ consentaneus rectissime affirmavit (3).

Neque enim μῦθος principium tantummodo tragicæ imitationis est, sed et finis. Finis autem, sicut in *Poetica* fieri solet, quanquam re unus, du-

(1) *De poet.* 14. 1453. b. 37. Quod ad illud τὸ πάθος attinet V. Vahlen. *Op. cit.* Heft I. 1866. Jänner. p. 106-113 et omnes *Rhet. Eth. Nic.* collatos locos; quod ad « ἀπὸ τύχης » primum ortam apud tragicos experientiam V. *De poet.* 14. 1454. a. 10.

(2) *De poet.* 18. 1456. a. 9.

(3) *De poet.* 1450. a. 11.

plex tamen est, sive ad usum et tragœdiæ structuram spectas, sive ejusdem universam vim et officium et munus intueris. Nihil enim est totum, quod non ad finem perductum est; nihil unum, quod non omnibus numeris perfectum. Atque hoc maxime unitas arguitur (1), si finiendo et priora illustrantur et in unum coercentur ex infinitis rebus aut notionibus (ἄπειρον) in unum veluti cohærentis animalis corpus immutata. Illa est unitas tragœdiæ absoluta, quæ ex actione tamen et singulis actionibus constat. Atque ille est finis vere tragicus, quem non machinæ suppeditant (2), sed actio ipsa ex se sufficiens concludit conculditurque. Hactenus valet altera hæc vere scænica et experientia edocta finis vis : qua agendi unitas absolvitur. Quanto vero minoris juris fuerit *temporis unitas* ab Aristotele non præcepta, sed obiter, mediæ computationis ritu, vix notata, tandem aliquando inter omnes convenit ; et novissime monstravit Butcher (3) nihil aliud articulo illo *Poeticæ* solo (quo tanquam rude aliqua armati tragœdiam nostratem plagosi critici educavere), nihil aliud, inquam, Aristotelem quam poetarum consuetudinem quamdam significasse, nec illam quidem

(1) V. Butcher *op. cit.* p. 254 et n. 4.

(2) *De poet.* 15. 1454. b. 1 sqq. Vere quidem græcus Aristoteles non machinæ usum omnino prohibet, sed « ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος » adhiberi jubet.

(3) V. Butcher. *Op. cit.* The dramatic unities. p. 267. Cf. Teichmüller. *Op. cit.* I p. 206 sqq.

universam, verum e scænicis Græcorum certaminibus (1), vel potius ex ipso ludorum more et assidua chori præsentia ortam.

Non ita res se habet, cum de tragœdiæ fine agitur. Simplex finis sit et unus, necesse est. Nulli nec vulgi favori aut mollitiæ (2), nec criticorum opinioni condonanda est necessitatis illius lex, qua necessitas tragœdiæ tota revincitur et consentanea clauditur. Nulla Platonis auctoritas, nulla sapientiæ ratio, nullus humanitatis et τοῦ φιλανθρώπου respectus vincere potuit, ut mixtam quamdam et ancipitem tragœdiæ conclusionem comprobaret (3). Qua usi et abusi, nostri dimidiati tragici, qui quod « melodrama » appellamus etiamnunc colunt, posteaquam fabulæ suæ finem attrectavere, ultimæ caveæ strepentia studia virtutis triumpho simul ac scelestorum funeribus pascunt, ac tum demum, cum aulæa sustulere, sapiunt, quam pudice et incredibiliter ! Maluit Aristoteles, postquam omnia tragœdiæ incrementa notaverat et lamentationem in tragicam imitationem immutatam paulatim animadverterat, exitu uno tragœdiam finiri gravem gravi, et, mutata prius personarum fortuna, in calamitatem desi-

(1) V. Butcher. *Ibid.* p. 269-270.
(2) *De poet.* 14. 1453. a. 33.
(3) *De poet.* 13. 1453. a. 12 et 1453 a. 30. sqq. Τὸ φιλάνθρωπον *De poet.* 13. 1453. a. 1.

nere (1). Inde Euripidis illa laudatio (2) ; in qua critici complures, humilem et pedestrem rei scænicæ curam esse rati, atque Aristotelis noxam purgare conati, magnopere laboraverunt (3). Atque iidem frustra mihi esse videntur, qui parce laudatum et cum correctione aliqua Euripidem volunt, et additum hoc : « ἐπὶ γὰρ τῶν σκηνῶν καὶ τῶν ἀγώνων τραγικώταται αἱ τοιαῦται φαίνονται, ἂν κατορθωθῶσιν, » facere comprobationi modum arbitrantur (4). Nam et superius illud : « σημεῖον δὲ μέγιστον » missum faciunt, et nimio plus, ut vidimus, scænicam rem et experientiam contempsisse Aristotelem fingunt. Immo vero maxime inter ceteros tragicus Euripides æstimatur, cui, quanquam aliquando accidit ut non omnes tragœdiæ partes convenienter aptaret, contigit tamen plerumque, ut experientia fretus tragicam imitationem tragico exitu conficeret (5). Nam « pulcherrimæ » tragœdiæ is demum probabilior finis est, qui scænicæ arti magis idoneus.

Quamobrem Aristotelem existimo, cum scriberet de tragœdiæ fine, quæ quidem pars summa est, rem, singulam rem, et scænicam rem et actio-

(1) *De poet.* 13. 1453. a. 22 sqq. V. quomodo Vahlen illud commentetur et *Rhetor.* citet II. 9. 1386. b. 28. *Op. cit.* Heft I. 1866. Jänner. p. 103.

(2) *De poet* 13. 1453. a. 22.

(3) V. Butcher. *Op. cit.* p. 285 et n. 2.

(4) *De poet.* 13. 1453. a. 26 sqq.

(5) *De poet.* 13. 1453. a. 35 et 36.

nem actionesque pluris fecisse, quam pro opinione est, et in usu et experimento imitationis tragicæ doctrinam prius posuisse. Unde fit ut plurima vocabula, quanquam unum introrsus sonantia, in duas sententias accipi possint. Nam ut ex illa singulari, sive tradita, sive inventa, fabula ad unam et totam et perfectam et e singularibus actionibus et notitiis sententiisque communibus mixtam pergitur, sic scænicus hic finis universum tragicæ imitationis finem et munus exsequitur. Ita a singulis ad communia, ab externis ad intima, ab *re* ad *ideam* imitando pergitur. Nuda enim idea, quamvis pulcherrime excogitata, si eam in pulpitum traduxeris, manca et iners videbitur. Πράγματα sunt, quæ illi interiori actioni, quam πρᾶξιν philosophus dicit, iter ad animos auditorii facessunt ; atque ita prior illa est vitæ imitatio (βίου μίμησις)(1) scænicum humanæ veritatis pignus et propugnaculum.

II

Quomodo communes hominum mores et sententias et affectus singularibus personis imitator induat, propriumque tragicæ imitationis expleat officium.

Cornelius noster, etsi *Poeticam* plerumque prave,

(1) *De poet.* 6. 1450. a. 17.

vel potius suo modo interpretatus est, dispexerat nihilominus non unam humanæ mentis imaginem ante oculos tragici scriptoris versari, verum duas (1) : alteram, quæ imitatione expressa in scænam producitur, alteram per cuneos, ut sic dixerim, assidentem, quam penes imitationis jus est et ratio et arbitrium. Cujus in dicione ita tragœdiarum auctor est, ut, quamvis suam fabulam non docuerit, nihil prorsus profecerit, nisi omnes, ut jam diximus, omnium personarum suarum non modo habitus sed et motus gestusque mente intuens sibi, dum scribit, proposuerit, spectatorum ipse princeps, et sapiens judex, et, ut Aristoteleum vocabulum usurpem, ὁ χαρίεις (2). Pro nihilo enim tragœdia quævis una est, quæ proprium generis munus non explevit; illud autem est munus expletum, si auditorum spectatorumque animi, quod re necesse est, lectorum quoque, quod laudatione dignissimum, metu ac commiseratione moventur, deinde si iidem affectus apud animos eosdem purgantur (3). In quo, sicut fabula plurimum valet, ita nec imbecilla nec hebes est intima illa πρᾶξις, manifestis et singulis actionibus reconditior, universarum notionum capax nostræque,

(1) V. Nostrum *Génie et Métier*. Article Corneille, p. 5.

(2) V. Butcher. *Op. cit.* The end of fine art. p. 197. « He is no mere expert, for Aristotle distruts the verdict of specialists in the arts and prefers the popular judgment, — but it must be the judgment of a cultivated public. » Vide *ibid.* n. 2 et 3, exempla ex Aristotele prolata.

(3) *De poet.* 6. 1449. b. 27.

qualiscumque introrsum est, humanitatis in scænam producta imago, singulari denique singularium personarum specie ac forma induta, cujus inops vitaque carens imitatio, quamlibet universa ac sublimis, nullo modo tragica est, verum prope in scæna præpostera.

Postquam igitur aliquis imitator πρᾶξιν illam, quam dicimus, atque hominum naturam et voluntatem et mentes perspexit, et illa τὰ καθόλου observationibus adscita cogitatione attigit (1) (qui quidem est tragœdiæ maximus honos, philosophiæ honori prope par), superest ut universa singulariter effingat, et, impositis nominibus, nunquam rupto naturæ fœdere, singulas personas, sicuti antea fabulam, necessarie ac verisimiliter (quam ubique legem communia proprie imitandi repperimus) rursus informare conetur. Primum enim nominibus (2), sive acceptis sive inventis, tanquam singularis cujusdam veritatis indiciis utitur ; deinde lege illa necessitatis et verisimilitudinis communia et intima revincta oculis mentibusque proponit, et animalium instar constructa, viventibus simillima (3). Quod si imitando efficere primum est, id secundum est, ut vere tragicæ personæ exstent, moribus et cogitatione præditæ et universæ hominum naturæ atque indolis ima-

(1) *De poet.* 9. 1451. b. 8.
(2) *De poet.* 9. 1451. b. 16.
(3) *De poet.* 14. 1454. a. 33.

ginem referentes, verum ita præsertim ut metum et commiserationem exsuscitent. Quis vero sit heros tragicus, universæ humanitatis particeps simul ac singularis, et qua voluntate, quibus calamitatibus jactatus et τοῦ φιλανθρώπου usquequaque dignus, ad explendum tragœdiæ munus perficiendumque finem adjuvet (quæ fabulæ primo, deinde et morum (1) res est), jam nobis est indagandum.

Actionis, quæ σπουδαία finita est (2), σπουδαῖος heros sit, necesse est. Actionem autem σπουδαῖαν cum Aristotele dico, quæ gravis ipsa, et ex intima hominum mente desumpta et in scæna actionibus singulis expressa non ad oblectationem modo pertinet, verum in qua graves humanæ vitæ et naturæ res aguntur; nec aliter σπουδαῖον heroa intellego, non præclara e stirpe natum, sed moribus inprimis gravem et conspicuum (3). Quo magis σπουδαῖος Œdipus tyrannus fingitur, eo graviore lapsu cadit (4). Qui si præterea primarium in civitate locum obtinuit, mutata fortuna, eo vehementius spectantium animos movet. Non tragicus, quia princeps, est;

(1) *De poet.* 6. 1450. b. 2. « Δεύτερον δὲ τὰ ἤθη. »

(2) *De poet.* 6. 1449. b. 24.

(3) *De poet.* 13. 1453. a. 10. V. Butcher. *Op. cit.* The end of fine art. p. 192. et Plot and character in tragedy p. 312. sqq. Tragœdiæ notitiam magis fovet quam rem, quanquam eruditissimus.

(4) V. Vahlen. *Op. cit.* Heft I. 1866. Jänner. p. 101 « Weil der Fall aus der Höhe um so tiefer und die ἁμαρτία jener um so folgenschwerer ist. »

sed contra princeps, ut maxime tragicus videatur. Nempe singularis (tota vocabuli vi adhibita), non unus e multis, σπουδαῖος ille est, qui melior (βελτίων) quam pro uniuscujusque nostrum natura efficitur, et privata simul et universa virtute, voluntate, indole ornatur, et viri illius, qui Œdipus fuit, et hujus nostræ humanæ condicionis et interioris vitæ compendiarium quoddam exemplar in se habet, mixtam et individuam, propriam et communem, atque ita meliorem aut pejorem, (nam utraque arte imitari communia licet), pictarum figurarum more, imaginem referens (1). Sic communium imitatio, quanquam *ideam* et illa τὰ καθόλου affectat, tamen hominem singulari habitu et forma et privatis moribus distinctum, id est propositi alicujus hominis similem effingit. Non enim videtur Aristoteles meliores voluisse effingi, quamvis similes, sed et hoc pariter et illud ex imitatione contingere, et alterum quidem alteri variis quidem rationibus et modis conjungi posse, verum conjungendum utique esse jussit, nedum ab altero alterum dissidere arbitraretur. Quin etiam, ut exemplari proposito præstet perfectum opus (2), simile tamen esse necesse est, nedum abhorreat ; atque item sequitur nec *ideam* a veritate, nec a notione *rem* esse remotam nec Aristoteli separabilem videri, nedum eas inter se repug-

(1) *De poet.* 15. 1454. b. 8. sqq. Cf. 25. 1461. b. 10.
(2) *De poet.* 25. 1461. b. 14.

nare existimet. Nisi forte putas in imaginibus illis, quibuscum imitatio tragica sæpius comparatur, in pulchrius pictis, si defuerit similitudo, non eam primum voluptatem requiri, qua unius cujusvis figura agnoscitur, (1) quamque supra didicimus ex imitatione primum percipi. Quod etiam in tragœdia evenit, quia cum sensuum opera affectus nostri excitantur, nec quidquam communes notiones efficiunt, nisi ad nos referri et similitudine aliqua traduci possunt. Si vero similitudo abest, quis metus aut quæ commisèratio oriatur, ex ipsa Aristotelis *Poetica* scire velim (2). Ergo nec diversa nec contraria posita sunt verba : σπουδαῖος, βελτίων, ὅμοιος ; quibus contra, tanquam primis ab urbe lapidibus, via monstratur, qua rursus communes notiones et idea singulis tragœdiæ personis ingenerentur. Ceterum, prout idea et τὰ καθόλου prævaluere aut singularis veritatis cura, inde meliorum aut similiorum heroum sequitur imitatio ; nam idem inter se discrepant Sophocles et Euripides atque Zeuxis et Polygnotus, οἷα εἶναι δεῖ alii, alii οἷα ἦν ἢ εστίν imitati (3).

(1) *De poet.* 4. 1448. b. 16. sq : « ὅτι οὗτος ἐκεῖνος. »

(2) *De poet.* 13. 1453. a. 5.

(3) *De poet.* 25. 1460. b. 10. et 25. 1460 b. 35. In hoc loco Vahlen subaudit εἶναι, Butcher et Christ prætereunt. Utrimque δεῖ poeticam, non moralem vim habet. Nempe in Sophocle τὰ καθόλου magis reperiuntur, in Euripide propriorum et singularium major copia suppetit. Hactenus inter se discrepant, quod varie propria communibus aut propriis communia ac varia ratione miscuerunt.

Duo autem sunt, quæ nostri similes aut meliores, vel etiam pejores personas tragicas efficiunt : mores videlicet et mens (ἦθος et διάνοια). Utrumque enim cum in aliis libris, tum in ea, cui studuimus, *Poetica*, non semel Aristoteles junxit. In utroque sita causa singularum actionum est (1). Quorum alterum, quod propter egestatem linguæ « mores » dicam, ad voluntatem pertinet; alterum, quod vocabulo « mente » significare institui, ad intellectum : utrumque natura alteri copulatum est et junctum. Nam ea prima Aristoteleam disciplinam necessitas urget, ut ea separate describantur, quæ inter se tanquam ζῷόν τι mixta cohærent; secunda, veluti jam comperimus, ut omnia illa vocabula propriam modo, modo communem vim habeant, et, sicuti in « necessitate », « fine », « fabula » animadvertimus, interdum unum aliquem voluntatis statum aut mentis, interdum continuum quemdam utriusque habitum et naturam, servata eadem philosophandi ratione, designent (2). Nec fere ullum est inter utramque vocabulorum vim intervallum. Τὸ ἦθος est quod τὰ ἤθη, hoc est mores, manifesta per imitationem facit. Mores itaque *Poetica* edocuit, post fabulam, plurimum pollere : nam actione primum, deinde moribus, tragœdia tragœdiæque personæ singulares vere fiunt (3). Per singulares autem et personas et actio-

(1) *De poet.* 6. 1449. b. 36. sqq.
(2) Vide supra p. 27.
(3) *De poet.* 6. 1449. b. 36.

nes, non notionibus universis, animos commoveri diximus. Illæ autem notiones universæ singulari herois cujusdam non modo forma, sed et voluntate induuntur, et demum tragica, siquidem per illud τὸ ἦθος voluntas aliqua significatur (1), et hominis hominumque arguitur natura voluntasque, non imbecilla, etsi non prima, metus et commiserationis effectrix. Bonusne sit an secus, (σπουδαῖος ἢ φαῦλος) heros, a moribus quoque quæritur. Nam « sunt mores, quotiescumque ex eo quod dicitur aut agitur, consilium quoddam, id est voluntatis impulsio aliqua (προαίρεσις) apparet (2). » Consiliis videlicet, quotquot sumus, distinguimur, non modo a viris viri, sed a servis ingenui, a feminis pueri, a pueris senes singulariter discrepantes (3). Quomodo denique quod volunt velint, id maximum inter homines discrimen est, et ea gravissima hominum deorumque discordia. Igitur qua tragicæ personæ *voluntate* efficiuntur, singulares eadem effici Aristoteles edocuit. Quod ad « mentem » pertinet, idem eumdem sensisse in *Rhetorica*, non in *Poetica* (4), possit reperiri.

(1) *De poet.* 6. 1450. b. 8. sqq. ; Cf. *Rhet.* II. 21. 1395. b. 13. ; Cf. *Rhet.* III. 16. 1417. a. 19 ; Cf. *Polit.* I. 13. 1260. a. 9. sqq. et passim. V. Vahlen. *Op. cit.* Heft I. 1886. Jänner p. 118-119, ubi προαίρεσις et ἦθος describuntur. V. Butcher. *Op. cit.* p. 313. n. I., et p. 315. n. 1.

(2) *De poet.* 6. 1450. b. 8. sqq.

(3) *De poet.* 15. 1454. a. 19. Cf. *Rhet.* II. 12. 1388. b. 31 ; III. 7. 1408. a. 27.

(4) *De poet.* 19. 1456. a. 35.

Quæ cum ita sint, restat ut personæ universa et propria humanitate ornatæ, communibus et singularibus moribus et mente præditæ, alteram quoque humanam mentem, quæ quidem spectantium est, metu et commiseratione afficiant : quod est tragicæ imitationis maximum. Utque Aristotelem jam intelleximus, non tam absolutam tragœdiam quam diversos perfectosque tragœdiæ numeros informare, sic et in ceteris *Poeticæ* locis et in hoc præcipue sejungenda nobis sunt ab iis quæ communiter de moribus dicit ea quæ ad hanc aut illam tragœdiæ personam attinent. Primum enim oportere putat bonos esse mores ; deinde in personas conveniant necesse est, et cum rerum veritate congruant et sibi constent (1). De convenientia morum et constantia (2) nihil jam controversiæ est : utraque enim propriis et communibus mixtas figuras temperat, et singulares facit, et quæ ab auditorio facillime percipiantur. De congruentia ac rerum similitudine, quæ moram multam et impedimentum nonnullis criticis adhuc infert, nihil amplius addam : tota disputatio nostra est.

(1) *De poet.* 15. 1454. a. 15. sqq. De congruentia cum rerum veritate V. Vahlen. *Op. cit.* Heft I. 1866 Jänner. p. 120. « Die Aehnlichkeit d. i. die Naturwahrheit der Charakterzeichnung. »

(2) « Ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον » eam personam intellego, quæ, si postea immutata fuerit, eadem tamen manebit ; — quod quidem contingere potest, si primo ita personæ mores descripti sunt, ut, quamvis mox immutentur, tamen salvum maneat τὸ εἰκός. « Ἔστιν δὲ παράδειγμα... τοῦ ἀνωμάλου ἡ ἐν Αὐλίδι Ἰφιγένεια. » (*De poet.* 15. 1454. a. 30).

Bonos contra mores diligentius explanare debemus, quippe qui et singulari et diversæ tragicorum heroum naturæ maxime repugnare et morali officio tragicam imitationem subjicere videantur.

Erraverunt autem pariter qui ita censuerunt mores bene notatos et insignitos significari, Cornelius et Dacier; nec minus Lessing, quanquam doctius, qui morale utique tragœdiæ officium inprimis esse ratus, tragicum heroa metum præsertim et commiserationem facessère non intellexerit. Immo boni mores ex bono consilio oriuntur (1); sequunturque impulsionem voluntatis bonam mores boni (2). Jure animadvertit Butcher Aristotelem, æqualium suorum et ipsius Platonis ritu, pro certo habuisse imitandi genera personarum, quæ imitatione fuerunt expressa, bonitate ac pravitate posse distingui; deinde nec optimos, nec omnino non mendosos, sed bonos dixisse (3). Quid quod nostri similes eos addidit esse debere, et, qui metum moveant, ab eximia et summa virtute idcirco semotos. Etenim si quem perfecta virtute consummatum (κατὰ πᾶσαν ἀρετήν) in scænam produxeris, aut immerita mala patietur et e felicitate ad calamitatem transibit (4), aut e calamitate ad

(1) *De poet.* 15. 1454. a. 18. Cf. *Eth. Nic.* VI. 2. 1139. a. 25. *ibid.* VII. 11. 1152. a. 17.

(2) V. *Ibid.* προαίρεσιν.

(3) V. Butcher. *Op. cit.* The ideal tragic hero p. 304-305.

(4) *De poet.* 13. 1452. b. 38.

felicitatem, pariter a tragœdiæ officio dissidens : altera enim fortuna indignus, nec metum nec commiserationem movebit, sed horrorem (1), et quæ in unoquoque nostrum innata æquitas est lædet; alterum autem si contigerit, et e calamitate in felicitatem unicus ille heros inciderit, imitatio frustra erit. Rursus autem est cavendum, ne quis, non virtute, sed nequitia perfectus, e felicitate in calamitatem veniat neu vice versa : alterum quidem τὸ φιλάνθρωπον (2) illud, de quo diximus, in se habet, metu autem ac commiseratione caret, alterum contra tragicam ipsam imitationem prorsus est. Adde indolem utriusque ab hac, quæ nostra est, natura remotam, et in medio plerumque (quod jure suo tanquam philosophiæ principium Aristoteles sibi vindicavit) hominum virtutem ac nequitiam utrimque reductas stare (3), et extremas in tragœdia parum efficere, quia parum nostrum sunt similes : quales sunt nostrorum « melodramatum » consummatæ vitiis aut virtutibus personæ, quæ metum sine commiseratione aut commiserationem sine metu plerumque eliciunt, nec aliud quidquam, cæde tandem aliquando absumpti, quam μιαρὸν purgant. Optimi præsertim, tantis calamitatibus fracti, voluntate tanquam deminuti (ῥάθυμοι), manci atque hebetes sunt, et, ut ait Cornelius, deo nescio cui Termo bracchia et crura exciso

(1) *De poet.* 13. 1452. b. 36.
(2) V. supra. p. 80.
(3) *De poet.* 13. 1453. a. 7.

pares (1). Morum igitur bonitatem consilii bonitate firmatam tragicæ imitationis respectus et tragici muneris cura temperant mediocri nostrorum morum similitudine.

Inde et nonnulla de variis fabularum personis, non communiter de moribus, ab Aristotele notata. Nam quæ sint principis actoris partes, qui mores, quæ calamitatum causæ, finivit personamque herois tragici adumbravit : « Ille est, inquit, nec virtute nec justitia excellens, nec nequitia nec malitia sua in calamitatem traductus, sed errato (2) quodam, et quidem inter illustres et felices viros delectus, quales sunt Œdipus et Thyestes et si quis e tali stirpe natus fuit et conspicuus (3). » Cujus nihilominus boni reperiuntur mores, quia

(1) V. Examen de *Théodore* : « à un dieu Terme sans bras ni jambes. »

(2) Butcher (*Op. cit.* The ideal tragic hero p. 295-297) notionum, quæ mente tantummodo concipiuntur, utique curiosus : « Lastly, ait, the word may denote a defect of character, distinct on the one hand from an isolated error or fault, and, on the other, from the vice wich has its seat in a depraved will. » Optimam vero et planam, ut opinor, interpretationem apud Vahlen reperies (*Op. cit.* Heft. I. 1866. Jänner. p. 100-101). « Aus derselben Stelle (*Eth. Nic.* V. 10, 1135. b. 12, sqq) entnimmt man das oft von Aristoteles mit Nachdruck Hervorgehobene, dass das Urtheil über die Handlung nicht durch diese selbst, sondern durch die προαίρεσις, die sie eingab, bestimmt wird : war diese πονηρά, so wird die Handlung zur ἀδικία und der Handelnde zum ἄδικος, war aber die προαίρεσις ἐπιεικής, so macht die Handlung, auch wenn sie an sich ein ἀδίκημα ist, den Handelnden nicht zum ἄδικος und πονηρός. »

(3) *De poet.* 13. 1453. a. 7. sqq.

nec malitia nec nequitia summa gloriam felicitatemque amisit, verum erravit magis quam peccavit (etiamsi accessit errori scelus) (1), non stirpe, sed bonitate mediocris, quanquam meliorem quam pro hominum natura imitatio eum informavit et singulari indole et nostrorum similibus moribus pariter atque communibus humanitatis affectibus et sententiis ornavit. Atque ita voluntati suæ, id est errori culpæque, obnoxius *ideæ* pariter et veritatis imaginem oculis mentibusque præbeat necesse est. Itaque boni mores et nostri similitudo in principe persona servantur.

Quæ autem de Menelao scripsit Aristoteles, aliter accipi velim (2). Jam non de primarum, sed de secundarum partium personis agi censeo. Constat enim bonos mores in primis partibus utique desiderari, ut tragica imitatio suo munere fungatur. Secundæ autem sunt, quales Menelai in illa Euripidis fabula quæ « Orestes » inscribitur, quibus, si fabula et πραγμάτων σύστασις et necessitas postulaverint (3), scelestis malisque esse licebit, servato modo necessitatis et verisimilitudinis

(1) V. p. 88, n. 2. citat. Vahlen.

(2) *De poet.* 15- 1454. a. 28 ; Cf. 25. 1461. b. 23.

(3) In capitis 15 loco supra citato (n.2.) notabis « μὴ ἀναγκαῖον » et 25 : « μὴ ἀνάγκης οὔσης », quæ ad fabulæ compositionem pertinent, ac perinde valent atque « ὅ βούλεται ὁ μῦθος. » (*De poet.* 16. 1454. b. 34). — Cf. *Ibid.* 15. 1454. a. 33 : « χρὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἤθεσιν ὥσπερ καὶ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων συστάσει ἀεὶ ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἢ τὸ εἰκός... sqq. »

fœdere. Quam quidem supremam legem, qua universorum singularis imitatio contineri edocuimus, ita Euripides abrogavit, ut, excepto Pylade, moribus pessimos omnes (1) in hac fabula produxerit et Menelaum quemdam ignavum malumque animi gratia et ad obtrectationem eorum qui ad rempublicam accesserunt, non e fabulæ necessitate aliqua effinxerit, proprio satiræ non tragœdiæ munere functus. Quemadmodum enim in fabula componenda finem maximi ante omnia momenti esse vidimus, sic in informandis personis sive primarum, sive secundarum partium, plurimum poliet illa, quæ tragœdiæ est, flebilis voluptas e metu et commiseratione adscita. At enim Aristoteles nescit tragœdiæ genera alia, in quibus plurima describendis hominum mentibus opera datur. Nonne omnino est segnis (ῥᾴθυμος) Hamlet? Nonne admodum pessimus (μοχθηρός) Richard III? Nonne apud Racinium nostrum perspicacior veri dispicientia fuit, quam pugnacior personarum voluntas, at utraque tamen maxime tragica? — Equidem criticorum puto culpam esse, non Aristotelis. Nam cum doctrinam suam experientia Stagirites comprobaverit, minime mirum mihi videtur, si, quamvis ultra tragœdiæ græcæ fines sæpe meditando sit progressus, tamen quidquid apud posteros inde oriturum fuerit non ipse præ-

(1) Cf. Argumentum Orestis (Sch. Eurip. p. 6, 9 Dind) a Vahlen cit. (in tert. recensione, p. 24).

viderit. Nisi forte putas criticos alios deesse, qui Racinii minus quam Græcorum fabulam in *Poetica* requirant. Prosit tamen nostræ huic, quam suscepimus, disputationi, quod fabulæ ac morum imitationem pariter in jure auditorii esse ratus Aristoteles universam humanæ mentis notitiam in officio commovendorum et purgandorum metus et commiserationis cohibuit et id prius esse censuit, non si ideæ imaginem sublimem et inanem, verum si ideæ simul et nostrum similitudine temperatam veritatem vere tragica imitatio referret.

Jam in *Rhetorica* metus et commiserationis descriptio nobis occurrit (1). Eadem nempe ratione usus philosophus, qui sint illi affectus duo, unde et quomodo moveri soleant, edisserit, ab usu ad rei naturam et communem notionem transgressus (2). Quæ cum ad totam tragœdiæ imitationem, sicuti jam didicimus, conferri possunt, tum ad id, de quo nunc agitur, maxime pertinent. Nam postquam tragœdia affectus illos, quos diximus, ali et innutriri ægre tulerat Plato (3), nec quidquam aliud inde nasci putaverat nisi mixtas quasdam (μιχθείσας) et impuras (ἀκαθάρτους) voluptates et cum dolore

(1) Quos quidem affectus ex actionibus primum oriri necesse est. Cf. *De poet.* 14. 1453. b. 14. Cf. Vahlen. *Op. cit.* Heft II. 1867. Juni p. 315-316. Nempe illa « ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν δεῖ χρῆσθαι » (*De poet.* 18. 1456. b. 2.) explanavit et actionum et dictionum congruentiam edocuit.

(2) *Rhet.* III, 5. 1382. a. 21. sqq. et 8. 1385. b. 13. sqq.

(3) *De rep.* x, 606. et 606. D.

junctas (1), contra mixtum commiserationi metum non modo non impuram voluptatem secum ferre Aristoteles edocuit, verum affectus utriusque fæce vel, si mavis, bile auditorium purgari. Hic vere præcipuus tragicæ imitationis finis est, hoc ministerium, hoc officium et munus, nec vile quidem, etsi non e pulchritudinis summa aliqua idea arcessitum. Huc tendit Aristotelea disciplina, ut metus, qui sui ipsius amori apud hominem accedere solet, cum illa alienæ et immeritæ calamitatis commiseratione copulatus et aliquo nostrum aut nostrorum respectu et rei proximitate ita auctus (2), ut ne misereri quidem sine aliquo timore possimus, tandem aliquando extra unumquemque quasi projiciatur, fæce sua, hoc est qua nimia sui diligentia laborabat, levatus. Nec aliter commiseratio cum metu juncta tractatur. Sic utriusque affectus medicamentum tragœdia tentatur, et, quamvis Cornelius negaverit, alterum alteri accedat, necesse est, ut tum demum vacet omni tabe, metu aut commiseratione purgata quæ nostra est humanitas. Sic denique Platoni, tragœdiæ contemptori, incorporalium autem notionum amantissimo æstimatori, κάθαρσιν suam Aristoteles objecit, qua similia similibus sanata apparent. Quam vero nec in dialecticam vocabuli

(1) *Phil.* 48. A. Cf. 50. B. Cf. Butcher. *Op. cit.* The function of tragedy, p. 248.

(2) *Rhet.* B. 8. 1385. b. 13. sqq.

partem, nec in religiosam accipiendam esse jussit, verum in medicam, ut, adhibito proprio ac singulari et experto remedio (1), fiat illud tragœdiæ idoneum munus.

Imitatio igitur tragica usu et experientia subnixa per fabulæ certam cohærentiam ad interioris actionis significationem primum pergit, et voluntatis, et si qua sunt in hominibus communia, notitiam attrectat; rursus autem, quæ universa comparavit, nominibus, vestimentis (2), moribus, sententiis, affectibus distinguit et ex ideæ marmore vivos et singulares vultus in scænam profert, quos intuentes et in iis defixi metu ac commiseratione sublevamur et flebilem quamdam percipimus voluptatem, quæ tragicæ imitationis summa est. Quæ quidem imminuta frangetur, si quis imitator actorum vicarius actioni ultro se immiscuerit aut ῥήσεις (3) in majus extenderit: nec quia versibus, nec quod privatim ac suo nomine eloquitur, imitator est (4). Agentes enim imitatione

(1) V. Bernays. *Zwei Abhandlungen über die Aristotelische Theorie des Drama. Ibid.* Brief an Leonhard Spengel über die tragische Katharsis bei Aristoteles p. 118. sqq.

H. Weil. *Abhandlung über die Wirkung der Tragödie nach Aristoteles.* Basel. 1848.

Cf. Butcher. *Op. cit.* The function of tragedy. p. 233-236.

(2) *De poet.* 15. 1454. b. 16; αἰσθήσεις ludos scænicos et vestimenta, et *personatos* histriones designant. V. Vahlen, *Op. cit.* Heft. I, 1866. Jänner. p. 125.

(3) *De poet.* 6. 1450, a 30.

(4) *De poet.* 9. 1451. b. 28. et 24. 1460. a 6-7.

tragica finguntur, (1) narrantes epica; ac (siquidem Aristotelis sententiam supplere licet) proprie de se dicentes frustra sunt.

Quamobrem tragœdiæ accessit illud τὸ ἐναργές, (2) quo vel etiam lecta, magis autem in scænam producta heroicum carmen vincit. Etenim poeta epicus quamlibet tenui nervo, nervo tamen figuras retinet, et filo quamlibet delicato deducit narrationem; tragicus autem, si vere tragicus imitator fuit, fila recidit, et ipse abest, nedum personis voce vel consilio vel etiam gestu aliquo præeat, quid agant aut eloquantur. Immo vivunt scænicæ illæ et veluti animatæ, nobis spectantibus, statuæ; nec non e spectaculo, (quod non adeo contempsisse Aristotelem etiamnunc patet) e musica, (3) quamvis legenti nec inertes nec mancæ apparere debeant, auxilii comparant aliquid, ut gravissima et, ut ita dicam, quam proxima voluptate, nullo præcone interposito, protinus perfundamur. Quod pariter efficere nec tragœdiam assequi, etsi una aut altera parte plus valet, (4) heroicum carmen ullo modo potest.

(1) *De poet.* 3. 1448. a 22. « πάντας ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους. » Non Teichmüller, qui de actoribus dici opinatur (*Op. cit.* I, p. 26. sqq.), sed Vahlen sequor, qui de fabulæ personis, et τοὺς μιμουμένους passive usurpatum intellegit, (in tert. recens. p. 96. n. 24.) Cf. *Op. cit.* Heft III, 1867. Juli. p. 400. Eodem capit. 3. loco utitur, ut τὸ ἐναργὲς illustret.

(2) *De poet.* 26. 1462. a 18.

(3) *De poet.* 26. 1462. a 17.

(4) *De poet.* 24. 1459. b. 24. sqq. et *ibid.* 14. sqq.

Nec, quia epica magis quam tragica imitatio ad vulgum spectat, et tanquam trivialis magis æstimari potest, idcirco eam minoris pretii duxit Aristoteles (1). Si qua forte circulatoria vilitas reperitur, imitantium vitium est, non imitationis. Tragœdiæ idem accidisse putavit Stagirites atque priscis actoribus, qui successores suos, locutionis et gestus nimios, simios appellavere (2). Jam et plura heroico generi desunt, quæ tragicum habet, nec quidquam ferme a tragico abest, quod non absit ab heroico (3). Immo vero etiam concludit illud astrictius quam hoc, et finem suum brevius attrectat (4). Hoc autem tragicæ imitationis excellentiam maxime demonstrat, (nec quisquam unquam criticus melius perspexit, cur « Œdipus tyrannus » Odysseæ carmini præferri possit) : scilicet vi et effectu potentior est, quia magis una ; et, quia τὸ ἐναργὲς plus in se habet ex actione agentibusque ortum, vehementius quoque ac directius certos affectus movet, et numere suo defuncta supereminet etiam τῷ τῆς τέχνης ἔργῳ (5).

(1) *De poet*. 26. 1461. a 30.
(2) *De poet*. 26. 1461. a 36.
(3) *De poet*. 26. 1462. a 15.
(4) *De poet*. 26. 1462. b. 12.

CAPUT IV

—

CONCLUDITUR

Jam comparare aliquid possumus, quod in animo fideliter sedeat.

Primum id mihi *Poeticæ* videtur accidisse, ut unica scriptoris auctoritas libelli non dico gloriæ, verum explanationi nocuerit, jactata in contrarias partes, ac plerumque prave, imitationis notitia. Quid sibi voluerit Stagirites, neutri ferme perspexerunt, plus voluisse eum utrimque rati, quam revera voluit. Nam vitium par esse putem, et nostratum olim criticorum, qui Platoni Aristotelem maxime adversatum sibi finxerunt, nec quidquam aliud eum quam ingenuas artes intra rudem ac veluti terrestrem rerum ipsarum imitationem coercuisse existimaverunt; et rursus germanorum anglorumque philosophorum, qui, quanquam nec Platoni tam infensum, nec communium notitiarum ideæque tam incuriosum eumdem fuisse dispexerunt, erraverunt tamen nimio plus a singulari rerum veritate et cognitione eum remotum arbitrati. Est modus in hac disputatione servan-

dus, quem si servare potuimus, auctore egregio magistro Boutroux, quod voluimus, sumus assecuti. Etenim, quæ mea est ætas, nec jam pervicaci audacia, quæ adulescentes admodum juvat, oblector, veritatem, sicuti virtus est, in medio esse sitam ratus; et ab ea plerasque hominum opiniones (philosophorum etiam dico et criticorum) sæpius pertenui discrimine separatas jampridem expertus et ab Aristotele novissime edoctus comperi.

Nam Aristoteles ille, cum universas rerum notiones perscrutari pergeret, non tam Platoni adversatus quam discipulus liber factus, et qui utique in magistri verba jurare desuevit, ratione philosophandi alia et Poeticam et imitationem tractavit; nec operam totam suam in singulis rebus cognoscendis nec in indaganda *idea* unice insumpsit, verum, qui prudentissimi illius ingenii mos erat quæque inclinatio, inter utrumque se tenuit, pariter cogitationum splendide mendacium et precariæ ac fluxæ rerum veritatis impatiens. Itaque quam acceperat a Platone imitationis notitiam et vim immutavit et complevit. Noluit vanam vanæ imaginis imaginem esse. Pulchram spem magis quam pulchritudinis doctrinam, a magistro suo excogitatam, et philosophorum peculiarem, et qua poetæ pariter ac vulgus fuerant destituti, et magnifica somnia experientia et usu temperavit.

Nec igitur primum argumentum imbecillæ artis

imitationem esse censuit; nec artifices contra vetuit supra res ipsas et vitæ consuetudinem oculos attollere, modo ne despexerint ea quæ, etsi in transitu vera, manifestam tamen et propriam et singularem, et unde initium imitandi et cogitandi sumendum utique est, veritatem obtinent. Imitatione etiam cavere poetam jussit, ne jure suo excludatur. Vim totam verbo suam integravit, cujus dimidiam tantummodo partem tradiderat Plato. Res enim respicere, non despicere, et ea quæ sensibus percipiuntur observare primum est, unde plena atque integra oritur imitatio. Plena autem erit, si universas notiones et communia proprie effinxerit. Communia autem, quæ τὰ καθόλου dicuntur, postquam singularum rerum cognitione imitator adeptus rursus informare et propriam formam speciemque illis induere tentavit, philosophis tum demum assidet. Atque ita veterem philosophiæ ingenuarumque artium discordiam composuisse Aristoteles videtur, ipse in explananda *Poetica* philosophiæ disciplina et ratione usus. Quemadmodum enim et in ceteris studiis a singulari rerum veritate profectus intimas et communes notiones et causam et finem perscrutatur, et naturæ fœdera ac leges perspicit, ut rursus unius cujusvis rei condicionem, genus, habitum definiat, sic jubet imitatorem e *rebus* ad *ideam* transgressum, ab *idea* ad propriam *rerum* imaginem effingendam consequentium legi, quæ quidem lex necessitatis est aut verisimilitudinis, obsecutum reverti.

Atque item una, tota, credibilis, notionum et rerum veritate mixta, communiter propria et singulariter universa imitatio apparet. Tandem aliquando philosophiæ poetica ars prope par æstimatur, hoc tamen uno dissimilis, quod philosophi universa rerum cognitione potiti beatissime fruuntur, artificibus autem superest ut cum singulis universa eadem jungant et in effigiem certam et singularem, non unam e medio sumptam, excogitata immutent, sensuum pariter et intellegentiæ alienæ arbitrio subjecti atque obnoxii. Nulla enim ad eximiam et vagam quamdam pulchritudinis imaginem provocatio est.

Ut pro certo haberetur universas rerum notiones per imitationem exprimendas esse, pauca verba impendimus. Hanc videlicet de *Poetica* disputationem, quomodo sese nostris quidem temporibus evolverit, accurate secuti, satius æstimavimus, quo valere imitationem Aristoteles voluerit, quatenus singularis, quatenus communis esse eadem debeat, distingui. Deinde exemplum e tragica imitatione sumpsimus, ut tota, non dimidiata, (nec experientiæ nec ideæ vi et potestate deminuta) in bono lumine tamquam collocaretur. Tragœdiam enim poeticæ imitationis summam esse ab Aristotele ipso didicimus. At enim universa ista maxime intersunt et plurimum in *Poetica* valent. — Sane et intersint et valeant, dummodo ne alteram imitationis partem aut omittas aut fastidias, nec, quæ inde sequantur, oblivis-

caris. Quod ut planum facerem, tragœdia mihi præsto fuit.

Itaque experientia simul et dialectica usus Aristoteles, non in suam tantummodo dignitatem poetas artificesque restituit, sed et fidelem græcarum artium imaginem rettulit. Quarum imitationem et causam et finem cum spectantium audientiumque, modo saperent, (ἐπιεικεῖς) (1) in potestate esse vellet, bene perspexisse videtur, qua potissimum virtute Græci præstiterint. Gentiles enim et, ut ita dicam, publicæ pictura, sculptura, poesis et tragœdia præsertim fuere, cum sint ad communem omnium voluptatem e vernaculo majorum ingenio natæ. Quare subtilis ille judex a nimia rerum singularum cura et unico ideæ studio pariter cavit, et utrumque coercuit et alterum alteri certis numeris et modis immiscendum esse docuit. Et cogitationi quidem inservivit, non ut imitationem de corporeæ rerum veritatis vectigali eximeret. Qui quidem vere græcus mos imitandi fuit. Nec aliter orta Græcorum religio est, quam sculptura, poesis, vel etiam tragœdia, non ficta plus quam vera, at in aliquot tamen singulares vivasque deorum formas redacta. Nec aliter, etsi minores quam pro natura Parthenonis equos finxit, universam operis sui compositionem intuens imitatus artifex est, equos tamen cum mirabili equini generis varietate effinxit, quam vera

(1) V. supra p. 78, n. 2.

simul et singulari imitatione expressos! Quare et græci ingenii summam et aptam huic de imitatione disputationi clausulam in hoc Aristoteleo videor mihi repperisse : « Si quis, ait, confuse pulcherrimis coloribus tabulam quamdam oblineret, nequaquam parem afferret oblectationem, quam si figuram aliquam lineis dumtaxat descripsisset (1).

(1) *De poet.* 6 1450. a 34.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV Kal. mart. ann. MDCCCXCVIII
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi
Decanus,

A. HIMLY

TYPIS MANDETUR

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD

INDEX

Imp. DESTENAY, Bussière frères. — Saint Amand (Cher).

ST-AMAND, CHER. — IMPRIMERIE BUSSIÈRE FRÈRES